START

Reel Contents

Reel Contents (2)

11. Sauppe, G. A. / Appendicula ad Xenophontis editionem stereotypam ...
12. Stahlberg, K. / Commentationis de L. Attii vita et scriptis particula
13. Weicker, G. / De sophocle suae artis aestimatore
14. Stieve, F. / De rei scenicae apud romanos origine : dissertatio ...
15. Werner, E. J. M. / De Senecae philosophia dissertatio
16. Schröder, W. / De primordiis artis historicae apud Graecos et ...
17. Palsson, A. / Historik inledning till Demosthenes tal Om den falska ...
18. Mohr, G. A. / De infinitivo historico
19. Nerrlich, P. / De Jove Homerico : partis prioris caput I, de Jove ...
20. Pelliccioni, C. / Commenatriis doctorum virorum in Sophoclis ...

Reel Contents (3)

21. Sauerwein, G. / Ostenditur, qui loci in superstite Nubium ([Nephelon]) ...
22. Otto, G. / Quaestiones de Promethei Aeschyleae re scaenica
23. Orges, W. / Comparatio Platonis et Aristotelis librorum de republica
24. Mohnike, G. C. F. / Kleanthes der Stoiker
25. Lange, K. W. / Commentationis de Sophoclis vita particula
26. Winter, J. / De Jove Homerico
27. Wiechmann, G. R. / Platonis et Aristotelis d arte rhetorica ...
28. Werner, P. J. E. E. / Quae fuerit Xenophontis de rebus publicis ...
29. Weland, A. / De praecipuis parodiarum Homericarum ...



DE

PROSODIAE GRAECAE ACCENTVS INCLINATIONE

SCRIBEBAT

FRID. VOLG. REIZIVS.

ADDITVM EST

EIVSDEM CARMEN

SAECVLVM AB INVENTIS CLARVM.

EDITIO REPETITA

CVRANTE

FRID. AVG. WOLFIO.

LIPSIAE, MDCCLXXXXI.

APVD SIEGFRIED LEBRECHT CRVSIVM.

EDITORIS

EPISTOLA

AD

D.B.C. DANSSIVM VILLOISONIVM,

REGIAE INSCRIPTIONVM ET LITTERARVM HVMANIORVM ALIARVMQVE MVLTARVM ACADEMIARVM SODALEM,

VIRVM ILLVSTREM

ET

CELEBERRIMVM.

Quum TV, Vir Celeberrime, nuper per litteras mecum iacturam doleres, quam in *Frid. Volg. Reizio* et amici eius fecimus, et omnis ciuitas litteraria; tum alia desiderabas in illo erepta, tum maxime ingenii ac studii acerrimi copias, quas ad scriptores a se edi coeptos erat allaturus, si longiorem ei Deus vitam concessisset. Nempe nostra caussa et communium litterarum hoc conqueri decet, non item ipsius caussa. Etsi enim ille vix tantum scripsit, quantum fertilior quispiam facile in dimidio minore aetate fundat: haudquaquam tamen fama eius ambigua est apud eos, qui doctrinam eruditorum hominum alia re quam voluminum, quae quisque protulit, numero et magnitudine metiuntur. Adeo fere de *Reizio* nostro valet id, quod de Persio poeta dictum est: multum verae gloriae meruit paucis libellis. De gloria autem dici vix potest, quam in tota vita nihil laborauerit; quae prima caussa erat, cur tam raro scriberet. Alteram quandam TVTE ipse, Vir Illustris, saepe es expertus in epistolarum commercio. Nimius calumniator sui, omnia lentius et remissius tractabat; rebus vel minimis, quas aliud agendo facimus, propriam diligentiam deberi putans; nihil admittens, in quo vllus dubitationis scrupulus residere videretur. Itaque quum legeret

 aliquid,

aliquid, aut ſcriberet, aut cogitaret denique, crebro de via deflectebat, libros euoluens plures, etiam contigui argumenti, qui ad alia eum ex aliis traherent, vt nonnunquam viae ſuae prorſus oblitus in deuerticulis habitaret. His acceſſit, quae ipſi horas a munere vacuas inprimis artabat, voluntas nimis obuia cuique, et inexpugnabile ſtudium quemlibet iuuandi conſilio, praeſidio, opibus, omni officiorum genere. Hanc natura inſitam facilitatem, quamvis improbi ingratique certatim contenderent, vt expugnarent; neque ipſe, ſi forte preſſus, non leniter coercendam putaret: nam videbat, ſi omnibus omnia dare vellet, interdum iis, quibus maxime cuperet, ne quod deberet quidem, dare ſe poſſe: natura tamen, apud illum hac vna in re rationi aduerſans, victrix ſemper redibat. Ita non modo publice docebat gratis: hoc enim in Academiis noſtris exſpectatur, non laudatur: ſed facile patiebatur priuatim ſibi imponi, quae non eſſent academici doctoris, praeſertim tam eximii et qui elimandis potius quam erudiendis ingeniis idoneus eſſet. Non pigebat eum propoſita a ſtudioſis pericula Latinitatis manu ſua refingere; epiſtolas, diſſertationes, indices librorum, carmina ſcribere nomine aliorum; deſudare in corrigendis ſpeciminum typographicorum vitiis: in quod piſtrinum ſaepe exteri non verebantur eum vocare, ſi quid in Lipſienſi libraria ederent, ita rati, etiam alii

generi

generi vitiorum facilem correctorem affore. Adeo occupatus in alienis, sua plerumque agere non poterat. Neque tamen vnquam hanc immodicae facilitatis suae sortem querebatur, nisi forte inter amicos, et coactus; nedum vt quidquam de tali re palam iactarit. Nunquam, mihi crede, animam terra tulit candidiorem, nunquam minus cupidam, aut minus prudentem sibi.

At nolebam nunc laudatissimi viri laudes persequi, nec mores describere: neutro apud TE est opus, VILLOISONI, qui eum noras et mirifice amabas: vt alii autem tantae virtutis imaginem intueantur, efficiet is, a quo descriptam eius vitam exspectamus. Volebam ego tantum significare, quo tandem pacto tam industrius homo ac laboriosus, anno aetatis quinquagesimo septimo vita cedens, tam pauca nobis perfecta reliquerit. Nam Herodoti, cuius priorem partem textus iam a. 1778 profligarat; sperans tum, quod viae confectum esset, et quod restaret, comparandum non esse; Herodoti, inquam, nec alteram partem aptauit ad editionem, nec Latinae translationis ne litteram quidem, neque animaduersiones et reliqua, in operis titulo promissa, elaborauit. Reperta quidem sunt in aduersariis eius nonnulla, quae eo pertineant, sed leuiter, vt fit, commentata inter ipsam lectionem, et de re-

bus chronologicis plura quam de criticis aut grammaticis. Seruantur haec vna cum Porti Lexico Ionico, passim in schedis intertextis correcto auctoque, eius vsibus, si quis ei in edendo historico succedere voluerit. Quanquam multa horum interim occupata sunt a *Larchero* nostro, Viro eruditissimo, cuius chronologicae rationes crebro ad amussim congruunt cum Reizianis. Sed vt ille vixisset multo longius, non puto futurum fuisse, vt vnquam ad laborem Herodoteum rediret, quem septem amplius annos intermiserat. Nam valetudo infirmior et auctae occupationes iam eum non sinebant longas spes et consilia inire. Quaerebat pensa breuiora, vnique conspectui patentia, quae requiem potius labori quam laborem promittere viderentur. Sic delapsus ad Aristotelis Artem poeticam, in hoc libello otium quatuor annorum consumpsit emendando, vertendo, interpretando. Et emendationis quidem fructus publice constitit prodita accuratissima contextus recensione; sed versionem, quod vnum de suo subiungere volebat, non absoluit. Quam vero partem reliquit, etsi in liturario, ea tam Latina est, simulque tam fida, tamque rigide seruans stilum Aristoteleum, vt ipsum philosophum, si Latine scripsisset, haud aliter scribere potuisse fatearis. Versionem hanc et multorum locorum explicationes, quas praelectionum caussa in editionis manualis margines

gines et in ſingulares quasdam chartas coniecerat, repoſui, atque, ne quid inde periret, operam dedi. Etenim quum morti proximum inuiſerem, diceretque pro modeſtia ſua vir optimus, nihil in vita operae pretium a ſe factum, multa animo deſignata iacere, nihil perfectum, nominatim Ariſtotelem ſibi manibus excuſſum: hac ego opportunitate vſus petii, vt quod quocunque modo in illum ſcripſiſſet, auditori cuipiam aut etiam mihi edendum mandaret. In quo mihi plane morem geſſit, et omnem rem mei fecit arbitrii, ſi quid ex farragine iſta, quam ſibi feciſſet, extundere poſſem, vtrum id premendum putarem, an meo periculo euulgandum. Noli quaerere, Vir Amiciſſime, quid ſtatim primis chartis excuſſis conſilii ceperim. Edidiſſem ea iam dudum, niſi iuſta editio, in vltima praeſertim parte libelli, noua cura indigeret, a qua adhuc curſus ſtudiorum meorum me auertebat. Interea adhuc per horas ſubſeciuas me tenuit monumentum *Reizii* aliud, in quo plura, quam alibi vsquam, doctrinae et acuminis ſui ſpecimina dedit. Eſt illud Plauti exemplar ex Gronouiana editione, Lipſiae repetita, quod ex eius librorum auctione emptum poſſideo. Rudentem Plautinam ab eo editam cognoris, ſimul noris, quam dotem illud habeat, quum dixero, eâdem prope curâ pleraſque fabulas in margine exemplaris manu eius emendatas eſſe. Multae quidem harum

 emenda-

emendationum e priſcorum librorum comparatione ductae ſunt, ſed acerrimo iudicio ductae, a viro rei metricae peritiſſimo; aliae haud pauciores ingenio ipſius repertae; denique omnes tam diligenti calamo exaratae, vt facile coniicias, non ſibi ſoli haec eum ſcripſiſſe, ſed, quod olim Bentleius in Notis ad Ciceronis Tuſculana Dauiſio collatis promiſerat, animo agitaſſe, vt totum Plautum ad criticas et metricas leges correctum daret et reſtitutum. Gaudebis igitur mecum, quod hic quoque non vnius anni labor auctionariae fortunae a me ereptus, aliquando et litteris proderit, et memoriam viri nouo decore illuſtrabit. Vtinam modo ne reliquae editiones poetae, quas item, ſed multo parcius, ſua manu notarat, diſperſae eſſent, parua vtilitate emptorum, in publicum nulla!

Reſtat in praeſenti, vt *Reizium* cognoſcamus ex iis, quibus extrema manus eius acceſſit, indeque excellentis et ad grammaticam diſciplinam nati ingenii formam complectamur. In iis praecipuum quendam locum tenent tria ſcripta, in quibus doctrinam de accentus Graeci depoſitione et retractione perſecutus eſt. Quae ſcripta quod apud librarios interdum requiri ſcirem, de eorum repetitione paranda iam tum cogitabam, quum TV ad eam me hortabaris. Sed tanto hortatore et auctore adhuc egebam. Nam ſunt apud nos Germanos

manos hodie ſapientes quidam, quibus omne hoc ſtudium antiquarum artium leue contemnendumque et parum δημωφελὲς videtur, maxime grammaticum illud, quod ad ſyllabas et litteras rimandas ſe demittit. Quo me iſti vultu, ſi nemine iubente amici gloriae conſulentem ſcilicet vidiſſent talibus ſcriptis repetendis, quae etiam infra litterarum elementa deſcendunt? Nec adeo deſunt homines docti, qui, more primum ex Britannia huc delato, ne vtendum quidem notis accentuum putant, quum quid Graece ſcribunt. His inprimis verebar ne huiusmodi praeceptio, quo diligentior et plenior eſſet, hoc magis videri deberet ridicula eſſe, aut certe ſuperuacanea. Quid opponi poſſit horum opinioni, ineptus eſſem, ſi TIBI, Vir Eruditiſſime, narrare vellem; quanquam TV ipſe in Iliade TVA, aeterno TVORVM in has litteras meritorum monumento, nouum morem ſecutus es. At feciſti TV quidem cauſſa adductus ſatis graui, qua ſe ii male defendant, qui, dum libri ſui deſcribuntur, prelis aſſident, nec in Graecia peregrinantur. Verum vtut eſt; res, quae adhuc a plerisque fit, et vero antiquitatis ſatis longa conſuetudine munitur, neceſſe eſt recte et ordine fiat, atque remotis, quae in ea occurrunt, difficultatibus. Id docuit in ea parte, quam pertractauit, doctorum omnium et TVO conſenſu, *Reizius* tanto ordine, tanta diligentia, perſpi-

perſpicuitate, ſermonis etiam elegantia, vt ſimili ſcriptionis generi exemplum dederit, quale antea adeſſet nullum. Sed quum inſtituiſſet vniuerſam quaeſtionem de accentus inclinatione explicare; altera adhuc reſtabat pars ſcribenda, maior hac et longe ſpinoſior, de rationibus accentus a dictione poſteriore in priorem deuoluendi. Fruſtra ſperaueram, aliquid in ſchedis eius repertum iri, vnde hoc ſupplementum accedere poſſet. Nunc peruelim videre, an quis alius ſeſe ei rei proprio ſtudio perficiendae parem putet. Me imparem eſſe, et ſentio, et ingenue fateor. Neque vero ad hosce tres libellos in exemplo ſuo *Reizius* quidquam adſcripſit, quod doctrinae nouam lucem affunderet. Atque hoc etiam minus exſpectaram, quoniam ea, quae in primo libello non ſatis recte dicta eſſent, in altero ipſum notaſſe et correxiſſe videbam; tertii autem ſumma nullis admodum nodis implicita erat. Quod tamen inueni, id ipſis verbis eius curaui addendum. Reliquae animaduerſiones ſunt meae, ad confirmandum ſaepius et ſupplendum, quam ad emendandum ſcriptae. His abs TE veni m peto, ſi quid cum Reizianis comparatum ſuo loco indignum mihi excidit.

Iam ad TE quo iure hic a me liber miſſus ſit, et illuſtri nomini TVO inſcriptus, Vir Celeberrime, non miraberis. Nam et ego

TVA

TVA potiſſimum auctoritate in hoc edendi conſilio ſum confirmatus, et *Reizius* tantopere TE colebat, ac tantum TIBI a ſe deberi ſaepe praedicabat, quantum externorum, doctrina clarorum, nemini. Vix vllum in Germania habuiſti primis TVIS in hoc ſtudiorum genere laudibus fautorem maiorem: et quum iam omnium oculos ad TE conuertiſſes, et Galliae TV Stephanos, Salmaſios, Caſaubonos ſuos referre videreris; Gallico nomini, tot aliis decoribus conſpicuo, hanc quoque gloriam redditam impenſe laetabatur. Quippe nationem VESTRAM, vt par erat, ſemper ſolebat magnificare, atque eius ingeniis omnia praeclara et ſumma tribuere. Vtinam is rei publicae VESTRAE mutationem, cuius ambigua initia vidit, videre potuiſſet tam proſperis et glorioſis ſucceſſibus perfectam! Qui hiſtoria magiſtra didiciſſet, quanta ex populorum et ciuitatum libertate beneficia eſſent in omnem humanitatem profecta; non ſane ſucclamaturus erat iſtorum vocibus, qui ſatis *ἐλευθέραν Κέρκυραν* ſuam iactant, ſi — noſti reliqua.

Itaque quod ego in hac epiſtola egi, quaſi mandantibus *Reizii* Manibus actum putabis. Ni ita eſſet, excuſarem paruitatem munuſculi, eamque ſolemnibus verbis extenuarem; afferrem etiam proprias cauſſas, ab inſigni TVA

in

in me beneuolentia et humanitate ductas, cur mei erga TE animi hoc potius qualecunque, quam nullum, pignus exstare voluissem. Nunc alieni muneris procuratio eripit mihi ambitiosae orationis copiam. Tanto efficiam impensius, vt re et factis me TVI studiosissimum experiaris. Opus TVVM, quo Graeciae nouam coronam paras, ex omnium aetatum floribus delibatam, exspectamus cupidissime. Cui consilio feliciter exsequendo vt publice priuatimque TIBI otium contingat et reliqua, quae non ad illud ipse cumulate affers, ex animo opto. Ita vale, et mihi, vt nuper coepisti, bene velle perge. Scribebam Halis Saxonum, m. Maio, cIↃ IↃ CC LXXXXI.

DE

DE
PROSODIAE GRAECAE
ACCENTVS INCLINATIONE.

Quae mihi a SERENISSIMO ELECTORE FRIDERICO AVGVSTO in hac omnium artium schola data est philosophiae Professio extraordinaria, eam rite aditurus publica oratione, quum debeam auditorum inuitandorum caussa libellum proponere, volui per hanc occasionem facere initium exponendi praecepta *de inclinabilibus Graecae linguae dictionibus:* re in speciem tenui et pusilla, sed plurimi et necessarii vsus, eademque parum diligenter etiam a doctissimis hominibus vel excussa, vel in edendis veterum scriptorum libris obseruata.

Iampridem aduerterat me, quod inclinandi et non inclinandi ratio non tantum ab aliis alia, sed ne ab iisdem quidem vna et eadem semper teneretur. Quum igitur ipse melius aliquid tenere cupiens, artes Grammaticas a recentioribus conscriptas adiissem, in maximo earum quas consulere potui numero, inueni tres tantum, quae paullo quam ceterae plenius de re hac praeciperent; sed ipsae tamen aut non pauca nec minima praeterirent, aut in quibusdam grauiter peccarent, aut passim rem longe facerent obscuriorem: vnam Alexandri Scoti, accentuum rationem ex Gulielmo Baillio tradentis; alteram eam quae dicitur Marchica; tertiam Neophyti Peloponnesii, qui Gazae librum quartum Introductionis plenissimo et erudi-

eruditissimo commentario explanatum edidit Bucurestii 1768 *). Itaque factum est, vt Herodiani, veteris et excellentis Grammatici, libellum

*) Opus hoc Neophyti, accuratissima refertum doctrina, vix emissum in aliquot hominum manus venerat, quum iniquo fato quodam prope omnia exempla eius perierunt. Reizius eo ad breue tempus duntaxat commodato vsus fuerat; dolebatque interdum apud me, his angustiis pressum se non nisi pauca eorum, quae vellet, enotare potuisse. Tandem mihi, paullo post illius mortem, opus studiose quaesitum attulit iuuenis natione Graecus, huc ad nos missus studiorum caussa. Est autem illud sic inscriptum: Θεοδώρου Γραμματικῆς Εἰσαγωγῆς τῶν εἰς τέσσαρα εἰς τὸ τέταρτον Ὑπόμνημα, ἐκ πολλῶν συνερανισθὲν ὑπὸ ΝΕΟΦΥΤΟΥ Ἱεροδιακόνου Πελοποννησίου, καὶ νῦν πρῶτον τύποις παρ' αὐτοῦ ἐκδοθὲν ἐπὶ τῆς θεοστηρίκτου Αὐθεντείας τοῦ ὑψηλοτάτου τε καὶ θεοσεβεστάτου Ἡγεμόνος πάσης Οὐγκροβλαχίας, Κυρίου Κυρίου Ἰωάννου Γρηγορίου Ἀλεξάνδρου, Γκίκα Βοεβόδα. Ὧι καὶ προσεφωνήθη· κατὰ προτροπὴν τοῦ μακαριωτάτου καὶ σοφωτάτου Ἱεροσολύμων, Κυρίου Ἐφραίμ· ἀρχιερατεύοντος τοῦ πανιερωτάτου Μητροπολίτου Οὐγκροβλαχίας, Κυρίου Γρηγορίου. Ἐπιμελείᾳ μὲν καὶ διορθώσει τοῦ ἰδίου Ὑπομνηματίστου, δαπάνῃ δὲ αὐτοῦ τε καὶ τοῦ πανοσιωτάτου ἐν Ἱερομονάχοις Κυρίου Ἰακώβου Χίου τοῦ Μαυρογορδάτου, ἐκ συνδρομῶν τῶν φιλοχρίστων καὶ φιλολόγων ἀνδρῶν, τῶν τε ἐν Χίῳ καὶ τῶν ἐν Βουκουρεστίῳ, ἐν τῇ νεουργηθείσῃ τυπογραφίᾳ ἐν Βουκουρεστίῳ. αψξη. (1768.) Pagg. sunt 1298 forma max. Sed hoc satis esto ad rei litterariae vsum. De ipso libro, quo doctissimi Grammatici pars difficillima arte subtili veterumque ingenio digna illustratur, dicendi alia fortasse occasio erit melior. *W.*

bellum de partibus inclinabilibus, quem a Marchico isto saepissime laudari, nec tamen vbique satis intelligi videbam, necessario mihi putarem legendum et cognoscendum esse. Habemus autem Herodiani hunc libellum, quod sciam, quater editum: (Fabricius duas tantum editiones commemorat:) semel anno MIIIID in Aldi *Hortis Adonidis*; iterum anno MDXII in eiusdem Aldi collectione quadam libellorum Grammaticorum, pro titulo inscriptis eorum singulorum nominibus, charta octuplicata; tertio annis quatuor post apud Philippum Iuntam, in Euphrosyni Bonini *Enchiridio Grammatices*, quae repetitio est collectionis Aldinae quam dixi, sed Enchiridii titulo dissimulata, chartis item octonis; quarto denique ad calcem *Dictionarii Graecolatini et Latinograeci*, ex Asulanorum officina vulgati anno MDXXIII. Magna est raritas horum librorum: secundi quidem et quarti studiose a me quaesiti, nusquam apud nos vllum potui exemplum inuenire. Iam etsi Herodianus multis locis in Enchiridio Boniniano quam in Hortis Aldinis emendatior legitur, siue quod Aldus iam in ea quam dixi collectione, quam Boninus repetiit, meliorem codicem secutus erat; siue quod Boninus ipse melioris codicis lectionem substituit: nonnulla tamen adhuc vitia supersunt, quae solo ingenio adiutus minime quisquam possit omnia tollere. Deinde ad Herodiani praecepta vel illustranda, vel confirmanda, vel supplenda, opus est conferre quae

de

de hoc genere ſcripta ſunt a ceteris antiquis Grammaticis: quorum libelli tantum in Hortis et in Dictionario editi ſunt. In Hortis adeo male ſunt deſcripti, vt quanquam plurimos errores ope ſola ingenii corrigere poſſis, alios tamen haud multo pauciores deprehendas, ad quos corrigendos auxilium tibi a meliori codice venire debeat. Quum igitur conſilium cepiſſem et Herodiani et eius comitum edendorum, eſſetque ad eam rem opus Dictionarii collatione, ſiquidem, vt ſperabam, in eo Grammatici editi eſſent ex alio codice, non ex eodem illo priori: quoniam fortuna librum quaerenti mihi nondum affuit, conſilio eo quod ceperam, in aliud tempus dilato, exiſtimaui ſtudioſis rem gratam fore, ſi ego interea cum ipſis communicarem, quae viderer in hoc argumento rectius quam vulgo praecipiunt, vel a magiſtris illis veteribus didiciſſe, vel re diligenter conſideranda intellexiſſe. Hic autem libellus primi tantum capitis praecepta, in quibus disputandis exſpatiatus res varias obſeruatione dignas longius perſequi volui, continebit.

— — —

In Vniuerſ. Art. Lipſienſi, d. Domin. 14. poſt Trin. 1775.

PROSODIAE

PROSODIAE GRAECAE
ACCENTVS INCLINATIO
PARS I.

A. 1775. d. 27. Sept.

I. *Tenoris inclinatio quid ſit.*

Inclinari tenor dicitur, quum dictio quae per ſe acuta eſt, grauatur. Acuta eſt ea, quae vltimam ſyllabam acuit. Vltimam ſyllabam autem quum dicimus, etiam dictiones monoſyllabas intelligi volumus. Ζεύς. πατήρ. ἀδελφός. Grauis dictio ea eſt, cuius vltima ſyllaba grauatur. μόρος. μόριον. μοῖρα. Dictiones quae vltimam circumflectunt, ipſae quoque in grauibus numerari poſſunt. εὖ. καλῶς. ἀγαθῶς. Nam tenor flexus, eſt acutus et grauis in eadem ſyllaba coniunctus, ita vt acutus prior ſit, poſterior grauis. ὦ eſt όὸ. Vnde nec ſyllaba quae vocalem breuem habet, inflecti poteſt. Sed Grammatici has dictiones quarum vltima ſyllaba inflexa eſt, in acutarum numero putauerunt. Nam acutas in duo genera diſtribuerunt, vnum earum quae tenorem acutum haberent φύσει aut ἐνεργείᾳ, vt σοφός; alterum earum quae δυνάμει, vt σοφῶς.

II. *Inclinandi tenoris modi tres.*

Dictiones acutae omnino tribus modis tenorem inclinare poffunt: vt eum aut plane deponant; aut ex vltima fyllaba in penultimam aut antepenultimam retrahant; aut a fefe in dictionem priorem deuoluant. Sed tenoris acuti retractio et deuolutio cadit etiam in dictiones quasdam circumflexas.

III. *Modus primus, tenoris depofitio.*

Primus tenoris inclinandi modus eft eius depofitio vel confopitio, et hac vna regula continetur: Quoties dictio acuta praecedit aliam dictionem, cum qua et conftructa et fimul pronuntianda eft, abiicit acutum, et verfa in dictionem grauem, etiam fignum grauis tenoris in fcriptura loco abiecti acuti recipit. Vt, has dictiones, μή, et μητρυιή, et περικαλλής, per fe quamque folam cum tenore acuto pronuntiamus: at in illo verfu Homerico, (*Il.* 5, 389.) Εἰ μὴ μητρυιὴ περικαλλὴς Ἠερίβοια, deprimitur haec tenoris acuti eleuatio. Nam propter continuum ftructurae ordinem curfus pronuntiationis debet perpetuus effe, quem interrumperet vltima fyllaba dictionis mediae acuendo elata. Quum igitur omnium fyllabarum quae non aut acuuntur, aut circumflectuntur, grauis tenor fit communis: ea dictio quae acutum in fyllaba vltima depofuit, aequabiliter pronuntianda eft, fine vlla tenoris varietate. Πᾶσα λέξις τὴν βαρεῖαν δεχομένη, καθ' ὁμαλισμὸν ἀναγινώσκεται. Conftantinus Lafcaris *Gramm.* l. 1. p. 106. ed. Venet. 1762.

1762. In hoc genere inclinationis exiſtunt variae quaeſtiones.

IV. *Cur ſignum tenoris grauis pro depoſito acuto ponatur.*

Qui fit, vt ſyllaba vltima, tenore acuto in conſtructione amiſſo, nota inſigniatur grauis, quum id non fiat neque in vlla ceterarum ſyllabarum quae grauantur, neque in ipſa vltima, ſi proximam vel tertiam ab ea tenor erexit? Eius rei quae cauſſa eſſet, nemo, quod ſciam, aperuit. Mihi venerat in mentem putare, hanc eſſe cauſſam, vt lector ſciret, non eſſe negligentia omiſſam notam accentus, ne forte ipſe in plurium ſyllabarum vocabulo male accineret proximam vel tertiam a poſtrema. Deinde animadverti, eas dictiones quarum pronuntiatio habet conſopito acuto aequabilem tenorem, ſimillimas futuras eſſe, vt ſi cum ea quae proxime ſequitur acuto aut flexo tenore praedita, in vnam compoſitam dictionem eſſent conflatae [1], niſi quaedam ſoni varietas in illarum ſyllabis vltimis exprimendis aſſumatur. Eſt autem ſonus a tenore diuerſus, ita vt minime ſit eadem vtriusque varietas et aequabilitas. Nam ſonus variat vocem, ſi ei dat plus aut minus vocalita-

 tis

1) At non ſit fere compoſita dictio, niſi cum aliqua mutatione; vt infinita exempla docent. Prior itaque cauſſa verior eſt. Tamen ipſe auctor in altera Disp. vtramque hanc ſententiam mutat. *W.*

tis et roboris; tenor, ſi eam aut erigit, aut deprimit, aut inflectit. Quare arbitror in ſyllaba vltima quae depoſuit acutum, ideo grauem poni, quod in ea pronuntianda in locum tenoris, qui dictionem a proxima quae infertur ſeiungebat, plenior quidam et validior ſonus debet ſuccedere.

Vnum clariſſimum in particula ὼς exemplum habemus. Ea carens accentu, grauis eſt per ſe, atque adeo pronuntiatur vt pars vocabuli quod proxime ſequitur. Eadem acuta, ὥς, pro οὕτως, quum in appoſitione acutum in grauem conuertit, niſi pronuntiatur et ſine vlla tenoris eleuatione, et ſono tamen impulſo validius, oratio fit obſcura. Nam ſi quis hanc particulam in his aut ſimilibus verbis, ὣς ἄρα φωνήσας ἀπεβήσατο, cum tenoris eleuatione pronuntiat, is videbitur verba disiunxiſſe, atque hoc dicere voluiſſe, *Ita: ergo locutus abiit.* Sin grauat quidem illam, ſed non pronuntiat ſono magis intento, periit, quod erat inter ὡς ἄρα et ὣς ἄρα, discrimen. Putabimus hoc dici, *Vt igitur locutus abiit*, et membrum conſequens exſpectabimus: fruſtrati, ſero intelligemus, non hoc dici, ſed illud, *Sic igitur locutus abiit.* Ergo et particula haec, et eius exemplo vltima quaeque ſyllaba, grauis ex acuta facta, eo pronuntianda ſono eſt, qui aures paullo plus impleat, quam is quo ceterae ſyllabae graues pronuntiantur.

V. *Quasdam particulas mutata significatione pronuntiandas esse vehementius.*

Hic sonus tamen de quo dictum est, multo minorem habebit impulsionem, praeut quo sono quasdam particulas propter significationis diuersitatem pronuntiare oportet. Quas ex iis notaui, hae sunt:

a) Articulus ὁ praepositiuus, pronominis οὗτος vicem obiens. Is adhibitus ea significatione, pronuntiandus longe alio est sono, quam quo vt articulus. Itaque in quibus terminationibus articulum proprium per se grauamus, quae sunt quatuor, masculina et feminina terminatio casus nominatiui singularis et pluralis, ὁ, ἡ, οἱ, αἱ, in iis terminationibus et acuitur per se articulus pronominis vice positus, et vt pronuntiatio differat ipsius atque articuli postpositiui ὅς, cum quadam soni vehementia effertur. Ἕως ὃ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα. *Il.* 1, 193. Ἣ γὰρ πολέμου ὀαριστύς. 17, 228. Οὐδὲ μὲν οὐδ' οἳ ἄναρχοι ἔσαν. 2, 704. Ἡμιόνων· αἳ γάρ τε βοῶν προφερέστεραί εἰσιν. 10, 352. Postpositiuus enim articulus easdem terminationes quatuor per se acutas habet, ceteras quidem tres in communi lingua, ἥ, οἵ, αἵ, vnam in Dorismo, abiiciente sigma ex ὅς, ὅ. Ἠπείλησεν μῦθον, ὃ δὴ τετελεσμένος ἐστί. *Il.* 1, 388. Sic et ὅτις, pro ὅς τις. Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι. *Od.* 1, 47. Iam in ceteris omnibus terminationibus articulum proprium ipsum aut acuimus per se, aut circumflectimus. Item igitur etiam in his terminationibus articulus pronominalis cum

quadam soni vehementia est efferendus, vt sit eius et proprii pronuntiatio diuersa. Ἱππόλοχος δέ μ᾽ ἔτικτε, καὶ ἐκ τοῦ φημὶ γενέσθαι. *Il.* 6, 206. Πολλῶν δ᾽ ἀγρομένων, τῷ πείσεαι, ὅς κεν ἀρίστην βουλὴν βουλεύσῃ. 9, 74. Τοὔνεκ᾽ ἀτιμάζει με, καὶ οὔπω φησὶ τὸν εἶναι. *Od.* 23, 116. Τὰ φρονέοντ᾽ ἀνὰ θυμὸν, ἅ ῥ᾽ οὐ τελέεσθαι ἔμελλε., *Il.* a, 36.[2]) Refert adscribere loca duo Eustathii, quae hoc nemini dubium relinquant, pronuntiationem articuli pronominalis vehementiorem ac sonantiorem esse debere. Primus locus est pag. 22. extr. Τὰ προτακτικὰ ἄρθρα στερηθέντα τῶν ὑποτεταγμένων αὐτοῖς ὀνομάτων, σφοδρότερόν τε ἐκφωνοῦνται κατὰ τοὺς τόνους, καὶ εἰς ἀντωνυμίας μετάγονται. οἷον ἐν τῷ, ὁ γὰρ Ἀπόλλων βασιλῆϊ χολωθεὶς, ἐὰν λείψῃ τὸ Ἀπόλλων, τὸ ὁ τὸ ἄρθρον ἀντωνυμία γίνεται, καὶ ἐξακούστερον ἐκφωνεῖται· εἰπόντος τοῦ ποιητοῦ, ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς, ἀντὶ τοῦ οὗτος. Τοιοῦτον καὶ τὸ, ὁ μέν. καὶ τὸ, ὁ δέ. καὶ αὐτὰ γὰρ ὀξυφωνούμενα ἀντὶ ἀντωνυμιῶν κεῖνται. Τὸ δ᾽ αὐτὸ νοητέον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἄρθρων. οὕτω γὰρ καὶ τοῦ ἀντὶ τοῦ τούτου φαμέν· καὶ τὸν ἀντὶ τοῦ τοῦτον· καὶ τοὺς ἤγουν τούτους. Alter pag. 1385. lin. 43. Δωριέων τὸ τοί. οὐ νοητὴ μὲν, ἄῤῥητος δὲ εὐθεῖα, τός. ὅθεν ἐκβολῇ τοῦ ταῦ, ὅς, τὸ κοινόν· ἀπελεύσει δὲ καὶ τοῦ σίγμα, ὅ· μετὰ σφοδρᾶς δηλαδὴ τονικῆς κρούσεως. καὶ εἰσὶν ἄμφω, ἀντωνυμικὰ ἄρθρα.

Non

2) Adde Iliad. K. 224. O. 417. X. 200. *W.*

Non solent Attici scriptores articulum hunc ita simpliciter hac potestate adhibere. Itaque librarii quibus consuetudo Attica notior et familiarior erat, in describendo Herodoto, cuius lingua retinuit illum simplicem vsum pronominalem articuli, sed eius duntaxat a littera τ incipientis, non pauca loca male deformauerunt. 3, 43. *τοῦδε εἵνεκα ταῦτα ἐποίεε, ἵνα* etc. Legit Abreschius, *τοῦδε δὲ εἵνεκα*, probante Wesselingio. Erat scribendum, *τοῦ δὲ εἵνεκα*. 9, 25. *τῶνδε εἵνεκα καὶ ταῦτα ἐποίευν.* Malit Wesselingius, *τῶνδε δὲ εἵνεκα*. Oportet scribi, *τῶν δὲ εἵνεκα*. Diu ne ipse quidem hoc animaduerti, quia eorum locorum vbi necessaria est particula δὲ, non pauca sunt ab ipsis iam librariis in hunc modum interpolata, obruto Ionismo: *τοῦδε δὲ, τῶνδε δὲ.* 3, 46. *θύλακον δὲ φέροντες, ἔφασαν τὸν θύλακον ἀλφίτων δέεσθαι.* Sic ora Stephani, et Codex Mediceus, aliique plures a Wesselingio nominati. Sed Aldus, *ἔφασαν τὸν ἀλφίτων δέεσθαι*, non repetito nomine *θύλακον* post articulum. Recte Valkenarius lectionem Aldinam iudicat meliorem. Sed idem ait, malle se *δεικτικῶς* potius, *τόνδε, huncce*. Atqui pronomen *οὗτος*, cuius vice articulus fungitur, etiam ipsum demonstratiuum est. An quum rei demonstratio et absentis, et praesentis fieri possit; in re, quae praesens est, demonstranda, non vsurpat Ionismus articulum? Homerus *Od.* 1, 359. *Πᾶσι, μάλιστα δ' ἐμοί· τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ οἴκῳ.* (Alia res est in Aristophane, qui vtique per Atticismum ita loqui non potuit, vt apud eum hodie scriptum legitur illud *Auib.* 443. *Οὔτι που*

 Τὸν,

Τὸν, οὐδαμῶς. Hic ſane agnoſco Valkenarii emendationem, quam ad iſtum locum Herodoteum propoſuit, Οὔτι που Τόνδ', οὐδαμῶς [3].) 3, 153. Ζωπύρῳ τῷ Μεγαβύζου τούτου, ὃς τῶν ἑπτὰ ἀνδρῶν ἐγένετο. Solus Mediceus, Μεγαβύζου τοῦ ὅς. Quam lectionem veram arbitror. 4, 36. ὡς τὸν ὀϊστὸν περιέφερε . . . οὐδὲν σιτεόμενος. Omnes ita legunt, nec Weſſelingius quidquam auſus eſt mutare, quamuis, vt ipſe monuit, fabula quam hinc deſumtam alii narrauerunt, exigat vt legamus, ὡς τὸν ὀϊστὸς περιέφερε . . οὐδὲν σιτεόμενον. Qui meminerit, Ionicum eſſe vſum hunc articuli, et ſcribarum culpa eum tot locis vel obſcuratum latere, vel extruſum deſiderari, nihil dubitabit hanc lectionem reponere [4]). Magis conſeruarunt articulum iſto vſu adhibitum poſt καί. 3, 32. καὶ τὸν φάναι. 4, 5. καὶ τὸν αὖτις ταὐτὰ ποιέειν. Ibidem, καὶ τῶν ἰδόντα πρῶτον τὸν πρεσβύτατον ἆσσον ἰέναι. Sic vnus tantum Codex Cantuarienſis,

3) Non agnouit eam coniecturam Brunckius, ſic verba diſtinguens: Οὔτι που Τὸν . . . ; οὐδαμῶς. Vt ſit reticentia nominis obſceni.

4) Sollicitat quodammodo hanc lectionem Larcherus in Notis ſuis ad Herodotum gallice ſcriptis pag. 402. allato loco ex Eudociae Ionia p. 20. Sed haec auctoritas eſt eiusmodi, vt iis, quas Valcken. attulit, praeferri nullo modo poſſit. Ceterum per quatuor priores libros Herodoti, vbicunque apud Larcherum Borheckii nomen legitur, pro eo reponendum eſt Reizii. Huius enim textum ille expreſſit. *W.*

riensis, quem Archiepiscopi appellant, et solus verissime: alii omnes, *καὶ τὸν ἰδόντα πρῶτον τὸν πρεσβύτατον*, quod non debuit a Wesselingio retineri. Locutus Herodotus est antea, non de vno ex illis tribus fratribus, eoque maximo natu: de quo si locutus esset, otiosissimum erat denuo statim illud referre, *τὸν πρεσβύτατον*: verum de omnibus tribus est locutus: et ideo nunc sic pergit, *Quae quum horum natu maximus vidisset.* 4, 9. *καὶ τὸν, κομισάμενον, ἐθέλειν ἀπαλλάσσεσθαι.* 4, 15. *καὶ τὸν, εἴπαντα ταῦτα, ἀφανισθῆναι.* Miror Wesselingium ex Origene maluisse dare, *καὶ τὸν μὲν*, etc.

Sed videamus iam, qui sint modi, quibus etiam Atticorum lingua vsurpet articulum pronominis potestate.

A) Post praepositionem. *Πάντων γὰρ δὴ ἀνακειμένων τοῖς Ἀθηναίοις ἐς τὰς ναῦς, ὅ τε φόβος ἦν ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος οὐδενὶ ἐοικὼς, καὶ διὰ τὸ, ἀνώμαλον καὶ τὴν ἔποψιν τῆς ναυμαχίας ἐκ τῆς γῆς ἠναγκάζοντο ἔχειν.* Thucydides 7, 71. *Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα καλὰ οἱ λόγοι ὑμῶν ἔχουσιν, ἐν δὲ τοῖς καὶ τοῦτο μεγαλοπρεπέστερον.* Plato *Euthyd.* 281, 19. edit. Bas. pr. Sed ita video locutos esse modo Thucydidem et Platonem, qui antiquam Atthidem vsurparunt [5]). Nam scriptores nouae Atthidis, quantum

5) Omnino pluribus modis videtur articulus a scriptoribus veteris Atticismi ad Ionum morem adhibitus esse, sicut

tum obſeruaui, ponunt ſemper in eiusmodi conſtructione ipſum pronomen. διὰ τοῦτο. ἐν δὲ τούτοις. Immo Thucydides et Plato ipſi quoque in tali forma ſolent pronomine ſaepius quam articulo vti. Miſſos hic facio Atticiſtas, qui nihil aliud niſi germanorum Atticorum imitatores fuerunt. Qui ſi quid habent, quod in illorum ſcriptis quae reliqua ſunt, non exſtet, vtrum id ex iis quae perierunt deſumtum, an a ſe nouatum habeant, res incerta eſt. Optimus eorum ſine dubio eſt Lucianus: ceteri fere omnes, alius plus alio, peccant vel affectatione, vel quod veteris et nouae Atthidis propria commiſcent. Vt Aelianus Platonis exemplum quod notauimus, ita imitatur

V. H.

ſicut illi et alia ſeruarunt, quae, Ionum propria, a poſterioribus Atticis vitantur. Res haec latius patet, quam vt hic tractari a me poſſit, praeſertim ab exemplis imparatiore. Hoc tantum monebo, etiam nulla praepoſitione praegreſſa interdum apud Platonem idem eſſe τὸ quod τοῦτο. Talis locus eſt Phaedon. c. 47. Τὸ γὰρ μὴ διελέσθαι etc. vbi aliena rei proponit Fiſcherus. Nam quae affert exempla, non quadrant, quum in iis poſt τὸ articulum ſequatur, in primo, μετὰ ταῦτα, in altero, δέ. Quaerenda erant talia, quale illud eſt in Cratyl. p. 434. E. Σὺ τὸ γιγνώσκεις, ὅτι ἐκεῖνο διανοοῦμαι. At bene ab hac duarum priorum editt. lectione diſceſſit poſterior Baſil. Praeterea etiam aliud quiddam in illo Phaedonis loco dubitarunt viri docti, quod a Fiſchero plane negligitur. Ita dubitandum etiam, quid articulus ſibi velit in his Sympoſ. XX, 7. Τὸ δὲ ἄρα οὐ τοῦτο ἦν etc. W.

V. H. 12, 60. Πολλοὶ μὲν οὖν, ὡς εἰκὸς, καὶ ἄλλοι λόγοι ἐπέῤῥευσαν, ἐν δὲ τοῖς καὶ ἐκεῖνο 6).

B) In coniungendis perſonis vel rebus, quarum nomina praetermittuntur. Ἐξέρχομαι, καὶ ἀφικνοῦμαι εἰς *) τὸν καὶ τόν. Lyſias *pro Eratoſth. caede* p. 27. Τί δὴ τὰ καὶ τὰ πεπονθὼς ὁ δεῖνα, οὐκ ἐλάμβανε δίκην παρ' ἐμοῦ; Demoſthenes *c. Mid.* p. 560. Articulos qui non incipiunt a littera τ, non memini ſic vſurpari, niſi addito nomine incertae perſonae, δεῖνα. Τῷ Φιλίππῳ δὲ . . . οὔτε κατειπεῖν τούτων εἶχε καλῶς, οὔτ' εἰπεῖν ὅτι· ἀλλ' ἔχουσιν ὁ δεῖνα καὶ ὁ δεῖνα. Demoſth. *de falſa legat.* p. 393. Μή μοι σωζέσθω, μηδ' ἀπολλύσθω μηδεὶς, ὃν ἂν ὁ δεῖνα ἢ ὁ δεῖνα βούληται· ἀλλ' ὃν ἂν τὰ πεπραγμένα σάζῃ, ἢ τοὐναντίον. Ibid. p. 436. Libenterque ita Demoſthenes loquitur, etiam quum articulus a littera τ incipit. Vt *Phil.* 1. p. 53. *In Androt.* p. 599.

C) In partitione. Τοσούτων ὄντων τὸ πλῆθος καὶ τῶν ἰδιωτῶν καὶ τῶν ἀρχόντων, οἱ μέν τι τούτων εἰρήκασιν, οἱ δὲ ἀκηκόασιν, οἱ δὲ ἑτέρους ποιοῦντας ἑωράκασιν, ἔνιοι **) δὲ αὐτοὶ τυγχάνουσιν ἐπιτηδεύοντες. Iſocrates *ad Nicocl.* pag. 44. ed. P. Steph. 1604. Ὁ ἥλιος, ἐπειδὰν ἐν χειμῶνι τράπηται, πρόσεισι, τὰ μὲν ἁδρύνων, τὰ δὲ ξηραίνων, ὧν καιρὸς διελήλυθε. Xenophon

6) Similia exſtant apud nouos hos Atticorum imitatores plura, et apud vnum Aelianum (vt V. H. XII, 1. XIII, 12. XIV, 37.) qui multas huius generis elegantias ſectatur, quae fugerunt doctum interpretem. *W.*

Xenophon *M. S.* 4, 3. §. 8. Saepe articulum neutrius generis, tum ſingularem, tum pluralem, in partiendo ſic adhibent, vt omiſſo nomine ad quod refertur, aduerbialiter adhibuiſſe videantur. Idem Xenophon *M. S.* 3, 5. §. 11. Τὰ μὲν αὐτοὶ καθ' ἑαυτοὺς ἀγωνιζόμενοι πρὸς τοὺς κυριεύοντας τῆς Ἀσίας . . . τὰ δὲ καὶ μετὰ Πελοποννησίων ἀριστεύοντες καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν. Haec ellipſis ita ſupplenda eſt, κατὰ ταῦτα μὲν τὰ μέρη, κατὰ ταῦτα δὲ τὰ μέρη. Quo elliptico vſu adhibuerunt etiam τοῦτο μὲν, τοῦτο δὲ ***): neque antiquiores fere aliter locuti ſunt, vt Herodotus, Antiphon, Andocides.

D) In oppoſitione. Τὸ μὲν γὰρ, ἀνόητον· τὸ δὲ, μανικόν. Iſocrates *ad Demon.* pag. 9. Quae formula eadem eſt atque illa, qua ibidem variandi cauſſa vtitur, ἐκεῖνο μὲν, τοῦτο δέ. Οἱ μὲν γὰρ, μετὰ πάσης Ἑλλάδος, Τροίην μόνην εἷλον· ὁ δὲ, μίαν πόλιν ἔχων, πρὸς ἅπασαν τὴν Ἀσίαν ἐπολέμησεν. Idem *in Euag.* p. 399. — Saepiſſime autem fit, maxime in ſermonibus et narrationibus, vt quanquam non praecedat ὁ μέν, tamen quia latens in perſona vel re oppoſitio eſt, inferatur, ὁ δέ. Πρῶτον μὲν, ὥσπερ εἰκὸς, ἠσπάσαντο ἀλλήλους· ἔπειτα δὲ ἤρετο τὸν Κῦρον ὁ Κυαξάρης, πόσον τι ἄγοιτο στράτευμα. ὁ δ' ἔφη, δισμυρίους μὲν, et rel. Xenophon *C. P.* l. 2. princ. Et nihil vſitatius, quam οἱ δέ, pro ἄλλοι δέ, quum aut additur, aut ſubintelligitur, φασίν. Idem fit in transitione, quod eſt genus oppoſitionis. Poteſt in illa

illa sane omitti particula δὲ: sed hac omissa non puto iam articulum amplius adhiberi solere. Itaque noue dixit Aelianus V. H. 14, 22. Ἀλλ' οὖν ἐκεῖνος καὶ τοῦτο κατέπαυσε. Τῶν τις οὖν ἀχθόμενος τῇ ἀμηχανίᾳ, καὶ δυσφορῶν, et rel. Debuit dicere, Τῶν δέ τις, aut omissa particula δέ, Τούτων τις. Male vertitur hic locus, *Eorum itaque aliquis.* Vertendum erat, *Quidam illorum tandem.* — Vtraque particula, et μέν, et δέ, semper in partitione atque oppositione articulum pronominalem sequi debet, non praecedere. Quam ob caussam notat Henr. Stephanus *Comment. de Atticae Linguae idiomatis* p. 184. καινοπρεπῶς loqui Thucydidem in isto loco, νῦν δὲ πρὸς μὲν τὰ ἀντειπεῖν δεῖ· τῶν δὲ ἔλεγχον ποιήσασθαι. 3, 61. Nam aliam hanc esse quam vsitatam sedem particulae μέν. Et sane haec sedes eius ante articulum pronominalem adeo inusitata est, vt Scholiastes acceperit articulum τά, quasi esset nomen infinitum, τινά. Quod fieri non potest, vt infra ostendemus. Occurrunt autem passim apud scriptores, etiam eos qui raro aliquid nouant, exempla huius insolitae collocationis. Vt apud Isocratem *in Paneg.* c. 37. Τάς τε πόλεις τὰς Ἑλληνίδας οὕτω κυρίως παρείληφεν, ὥστε τὰς μὲν αὐτῶν κατασκάπτειν, ἐν δὲ ταῖς ἀκροπόλεις τειχίζειν. Dicere debuit, ἐν ταῖς δέ. Apud Xenophontem vno loco bis ea nouitas occurrit. Ἵνα ὑπὸ μὲν τῶν ἄγωνται, ὑπὸ δὲ τῶν ὠθῶνται. *M. S.* 3, 1. §. 8. Ita legit Ernestius, praeceptor noster, Caselianam editionem secutus, recte: nam ceterarum lectiones perspicuum vitium habent. Mihi

Mihi videbatur Xenophon ſcripſiſſe, ὑπὸ μὲν τῶν πρώτων, ὑπὸ δὲ τῶν τελευταίων. Potuerunt hae duae dictiones ita denique intercidere, ſi eas vt ex proximo repetitas librarii ſcripſerant non omnibus litteris, πρ. et τελ. [7])

Hos igitur vſus articuli pronominalis videor obſeruaſſe a ſcriptoribus Atticis frequentatos. Verum etiam quum articulus adhibetur omiſſo nomine quod ſubiungendum erat, vehementior illius pronuntiatio mihi videtur eſſe debere. Locum autem iſta ellipſis nominis habet, α) In iurando. Ariſtophanes *Ran.* 1421. Μὰ τὸν, ἐγὼ μὲν οὐδ' ἂν εἴ τις Ἔλεγέ μοι τῶν ἐπιτυχόντων, Ἐπειθόμην. Vbi Scholiaſtes notat, veteribus morem fuiſſe, vt nonnunquam religionis cauſſa nomen dei per quem iurarent, non adderent. Itaque idem Scholiaſtes et qui eum ſequitur Gregorius *de Dialectis* p. 65. hoc eſſe dicunt ἐλλειπτικῶς ὀμνύειν. At Philo Iudaeus a Spanhemio ad Ariſtophanem laudatus, ait, qui hoc tantum dixiſſent, νὴ τὸν, μὰ τὸν, eos nihil addendo, προφάσει τῆς ἀποκοπῆς τρανοῦν ὅρκον οὐ γενόμενον, i. e. *per abruptionem et reticentiam declarare iusiurandum factum non eſſe.* Haec vera eſt horum verborum interpretatio, non quam dat Spanhemius. Et ſane Strato in Epigr. 5. quod etiam a Gregorii editore allatum eſt, poſtquam dixerat, οὐ μὰ τὸν, omiſſa dei appellatione

7) Correctionem, ſane difficilem et non neceſſariam, ipſe reiicit auctor, infra. *W.*

ne subiecit, οὐκ ὀμόσω. Vtrumque verum arbitror: alii ob numinis reuerentiam; alii, ne poeniteret iurasse, nomen suppresserunt. Illi, credo, vehementius; hi citra vehementiam articulum pronuntiarunt [8]). — β) In hac formula, πρὸ τοῦ, quae significat, πρὸ τοῦ νῦν (vel τότε) χρόνου. Si vt dictio composita scribitur, προτοῦ, id quod a Grammaticis omnibus fieri solet [9]), qui eam referunt inter aduerbia temporis; non puto intenditur pronuntiatio articuli, quoniam compositae cum eo praepositionis tenor in merum syllabicum abiit. Καὶ μαρτυρεῖ πᾶς ὁ προτοῦ χρόνος γεγονώς. Demosth. *adu. Lept.* p. 496. — γ) Sequente articulo postpositiuo. Ἢ οὐδὲ τοῦτο ἀναγκαῖον, ἐὰν μὴ καθ' αὑτὰ ᾖ τὰ ἐξ ὧν σύγκειται, ἀγαθά; Aristoteles *Top.* 6, 13. §. 14. Rarum inuenio apud veteres hunc vsum articuli, et eius duntaxat neutro genere. Posteriores illum saepius frequentant,

8) Addi poterat etiam forma, μὰ τήν. Quae, vt forte nusquam alibi reperiatur, praeclare reposita est a Bentleio in Fragm. Menandri CXIV. et ab Hemsterhus. in Theophil. ap. Athen. XI. p. 472. E. vbi vulgo est μάτην. *W.*

9) Ab hac consuetudine, nescio quare, discedere nuper coepit Brunckius. Certe in eius Aristophane vocem vix aliter quam disiunctim scriptam reperias. Quod autem vulgo putant, προτοῦ contractum esse e verbis, πρὸ τούτου (τοῦ χρόνου) id nihil est. Nam ponitur etiam de tempore, tempus quoddam iam elapsum praegresso; vbi est πρὸ τοῦ τότε γενομένου χρόνου, vt bene Reizius. Sic quoque, licet rarius, legitur τὸ προτοῦ, *ante illud tempus*, v. c. Plat. Alcib. 1. p. 110. A. *W.*

tant, vt Apollonius Alexandrinus *de Synt.* 57, 30. 64, 11. 126, 2. 138, 6. 202, 10. 269, 18. Locus autem 118, 15. non huc pertinet: praecedit enim, τῷ τε ἀποφαινομένῳ προσώπῳ ὑπὲρ αὐτοῦ. (lege, αὑτοῦ.) Inde repeti debet, προσώπῳ. Nam quod non dicit πρὸς ὅ, sed πρὸς ὅν, si vera lectio est, per figuram ita loquitur, quasi hominem dixisset, non personam [10]). — Est etiam aliud genus omissi post articulum aut nominis, aut participii, quum horum alterutrum ad congruentiam deest iis dictionibus, quae cum articulo sunt constructae. ὁ τοῦ δεῖνα (υἱός.) τὰ τοῦ Ὁμήρου (ἔπη.) τὰ τῆς πόλεως (πράγματα.) ὁ ἐπί τινος (ὤν, καθεστώς, τεταγμένος.) οἱ ταύτῃ (κατοικοῦντες.) οἱ ἔπειτα (ἐσόμενοι.) τὰ πρὸς θεοὺς (ἀνήκοντα.) τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς (ὄντα, ἔχοντα.) τὰ μετὰ ταῦτα (γενόμενα, vel γενησόμενα.) Ingens numerus talium exemplorum est, nec semper ita facile, partem, quae deficit, supplere. Nomina quidem, et quae iis computes verba infinitiui modi, omissa, possunt interdum ex proximo assumi. Thucydides 8, 41. ἀφεὶς τὸ ἐς τὴν Χίον, ἔπλει ἐς τὴν Καῦνον. Deest, πλεῖν, quod latet in proximo, ἔπλει. Sed quoniam in hoc ellipseos genere tamen aliquid post articulum sequitur, quod ad eam dictionem, quae omissa est, pertineat: ob eam rem nihilo vehementius quam si plena constructio esset, illum pronuntiabimus.

Platoni,

10) Conferri Syncellum p. 236 sqq. iubebat REIZ. *in marg.*

Platoni, et praecipue Thucydidi, singularis quaedam vsitata est elliptica formula, ἐν τοῖς [11]) Ἀγγελίαν φέρων, ἐμοὶ καὶ τοῖς σοῖς ἐπιτηδείοις πᾶσι καὶ

11) Noua sunt, quae de huius formulae vsu h. l. disputantur, et contraria iis, quae H. Stephanus docet Append. Thesauri de Dial. Att. p. 181 sqq. atque hunc secuti, L. Bos Obss. crit. p. 18. Hemsterh. ad Lucian. T. 1. p. 3. aliique gregatim. Quod Reizius plane non meminit Hemsterhusii, cuius tamen doctrinae et iudicio plurimum semper tribuere solebat, videtur mihi antequam haec scriberet, aut copiosam Bataui disputationem non legisse, aut prius lectam oblitus esse. Vtut est, bene cecidit. Tali enim Reizius erat ingenio, vt non temere auderet grauis viri auctoritati sua, quamuis subtiliter cogitata, opponere: ceteris tribuens omnia, sibi diffidebat vni, suam tarditatem accusabat. Nunc id quidem puto ab eo in clara luce positum, verba ἐν τοῖς in ista constructione seorsum sumenda esse, nec iungenda cum voce μάλιστα, vel si quae alia vox sequitur. Sequuntur enim, maxime apud posteriores scriptores, etiam aliae, μάλα, σφόδρα, πάνυ. Postremum hoc in formula hac inprimis frequentat Dionys. Halic. Vt A. R. III, 32. pr. De C. V. c. 9. p. 64. Vpt. Et Iud. de Isocr. c. 2. pr. quo loco vtemur posthac, quum addemus nonnulla, quae Reizianam doctrinam partim confirment, partim leuiter refingant. Nam quod Hemsterhusio et aliis fraudi fuit, vt exemplis iusto paucioribus ad rationem subducendam niterentur, idem quodammodo accidit Nostro. Ceterum illud quoque primus et vere obseruauit, formulam hanc non omnibus scriptoribus in vsu esse. Apud Xenophontem certe eam vix vsquam, puto, inuenias. *W.*

καὶ χαλεπὴν καὶ βαρεῖαν· ἣν ἐγὼ, ὡς ἐμοὶ δοκῶ, ἐν τοῖς βαρύτατα ἂν ἐνέγκαιμι. Plato *Crit.* c. 1. Ταύταις δή φαμεν καὶ σὲ ταῖς αἰτίαις ἐνέξεσθαι, εἴπερ ποιήσεις ἃ ἐπινοεῖς· καὶ οὐχ ἥκιστα Ἀθηναίων σε, ἀλλ' ἐν τοῖς μάλιστα. Ibid. c. 14. ἐν τοῖς χαλεπώτατα δῆγον. Thuc. 7, 71. ἀνὴρ ἐν τοῖς μάλιστα καὶ ἐκ πλείστου ἐναντίος τῷ δήμῳ. 8, 90. ἐν τοῖς πλεῖσται δὴ νῆες ἅμ' αὐτοῖς ἐνεργοὶ κάλλει ἐγένοντο. 3, 17. ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι τὸν σίδηρον κατέθεντο. 1, 6. οὕτως ὠμὴ στάσις προυχώρησε· καὶ ἔδοξε μᾶλλον, διότι ἐν τοῖς πρώτη ἐγένετο. 3, 81. μέγιστον δὲ, καὶ ἐν τοῖς πρῶτον ἐκάκωσε τὸ στράτευμα τῶν Ἀθηναίων ἡ τοῦ Πλημμυρίου λῆψις. 7, 24. Tot exempla congeſſimus, vt pateat, hanc formulam, ἐν τοῖς, Latine ſignificare, *omnium*. Etiam poſteriores hac ſunt formula vſi, non tamen alio ſuperlatiuo ſequente, niſi hoc vno, μάλιστα. Vt Aelianus V. H. 1, 31. 2, 7. et 38. Si homines doctos audias, conſtruendus erit ſuperlatiuus μάλιστα, non cum attributo quod enuntiatur, ſed cum formula iſta quae intercurrit, ἐν τοῖς. Vt oratio plena ſit, ἐν τοῖς μάλιστα τοιούτοις οὖσι, τοιοῦτός ἐστι. Senſus autem hic, τοιοῦτός ἐστι, τοῖς μάλιστα ὁμοίως, quemadmodum loquitur Demoſthenes in epiſtola de reditu ſuo p. 1473. Cf. Herodotum 3, 8. 7, 118. et 141. Latine vertas, *vt qui maxime*. At ego videor poſſe contendere, illud μάλιστα pertinere ad ipſum attributum, non ad formulam quae adiicitur, ἐν τοῖς. Vt ſit plena oratio, ἐν τοῖς τοιούτοις, μάλιστα τοιοῦτος. Quod nihil aliud eſt, quam, *omnium maxime talis*.

Non

Non sane ita magnum discrimen est inter hoc, *esse omnium maxime talem*, et illud, *esse vt qui maxime talem*: neque in plerisque locis referet, vbi Graeca ista formula occurrit, hoc an illo modo eam interpretari malis. Verum nos disputamus hic non tam de sensu verborum, qui vtrouis modo paene idem efficitur, quam de constructione, quae talis esse debet, vt eadem possit etiam iis exemplis, in quibus dictio superlatiua nomen, et id casu recto est, apte quadrare. Atqui non quadrat his exemplis ea constructio quam illi volunt: id quod etiam ipsi vident, ob eamque caussam in iis exemplis alii eorum, vt Heilmanus, (ad Thuc. 3, 17.) constructionem vitii damnant; alii, sicubi manuscriptus liber aliam praebet lectionem, eam primam habent, vt Stephanus, qui *Comment. de Att. L. idiomatis* p. 184. in loco illo Thucydidis, 1, 6. *ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ* Ἀθηναῖοι, commemoratis aliis duabus lectionibus, *ἐν τοῖς πρῶτοι δὴ* Ἀ., et, *ἐν τοῖς πρώτοις δὲ* Ἀ., praeferre se ait harum posteriorem. Durum est putare, constructionem eam esse vitiosam, cuius ipse rationem perspicere nequeas: praeferre autem lectionem faciliorem difficiliori, neque omnino cauti iudicis est, neque in isto vno loco refert, quippe aliis pluribus eadem recurrente difficultate. Hoc igitur magnum argumentum est, dictionem superlatiuam non esse cum ipsa formula *ἐν τοῖς* construendam, quod ea constructio non potest in exempla omnia cadere. Cadere autem nostram in omnia, ostendemus. *ἐν τοῖς βαρέως οἴσουσι, βαρύτατα ἂν ἐνέγκαιμι. ἐν*

 τοῖς

τοῖς Ἀθηναίων ἐνεξομένοις ταύταις ταῖς αἰτίαις, μάλιστα σὲ αὐταῖς ἐνέξεσθαι. ἐν τοῖς χαλεπῶς διάγουσι, χαλεπώτατα διῆγον. ἐν τοῖς ἐναντίοις οὖσι τῷ δήμῳ, μάλιστα ἐναντίος. ἐν τοῖς ἐσχήκασι πολλὰς ναῦς ἅμ' ἔργον ποιούσας, πλεῖσται δὴ αὐτοῖς ἅμ' ἐνεργοὶ ἐγένοντο. ἐν δὲ τοῖς τὸν σίδηρον καταθεμένοις, πρῶτοι Ἀθηναῖοι αὐτὸν κατέθεντο. ἐν τοῖς ὠμῶς γενομένοις, πρώτη αὕτη ἡ στάσις ἐγένετο. ἐν τοῖς κακώσασι τὸ στράτευμα τῶν Ἀθηναίων, πρῶτον ἐκάκωσεν αὐτὸ ἡ τοῦ Πλημμυρίου λῆψις. Non inutilia haec deputo, qui videam, ne Scholiaſtae quidem, homini Graeco, veram huius conſtructionis rationem perſpectam fuiſſe, vt ex inepta eius interpretatione patet ad 1, 6. 3, 17. 81. 7, 24. Praeterea planum haec faciunt, iſtam formulam Thucydidi reſtituendam eſſe, haud ſcio an locis pluribus, certe hoc in quem legens incidi, 7, 19. οὗτοι μὲν οὖν ἐν τοῖς πρώτοις ὁρμήσαντες ἀπὸ τοῦ Ταινάρου. Corrigi debet, ἐν τοῖς πρῶτοι ὁρμήσαντες. Nam omnium copiarum a Peloponneſiis in Siciliam eo bello miſſarum, primae fuerunt eae de quibus ibi Thucydides loquitur. ἐν τοῖς ὁρμήσασι, πρῶτοι ὥρμησαν. Lectio autem vulgata ſententiam habet aut nullam, aut falſam. Nam ſiue aliquid ſuppleas: nempe hoc ſupplendum erit, ἐν τοῖς πρώτοις ὁρμήσασιν, ὥρμησαν. Hoc aut ſignificat, *ita profecti ſunt, vt qui primi;* aut, *inter primos profecti ſunt.* Prius, eſt nihil; poſterius, falſum. Nam ſoli, non cum aliis, primi traiecerunt. Siue nihil ſuppleas: ecquid tum ſignificare poterit

poterit ἐν τοῖς πρώτοις, quod hic locum habeat vllo modo? *inter proceres? praecipue?*[12]) Sed vt redeam

ad

12) Hactenus egregie omnia et acute. Quibus propositis V. D. hoc facile assequitur, vt vulgaris modus istius formulae explicandae longe minus certus videatur quam antea. Neque dubium est, si Hemsterhusio duo illa exempla Thucydidis (III, 17. et 81.) in animo fuissent, quin et ipse paullo aliter de tota re scripturus esset. His solis enim satis conficitur, verba ἐν τοῖς dictioni superlatiuae adiici solere simpliciter, vt Latina *longe*, *multo*, *inprimis*, *praecipue*, *omnium*; neque tali ellipsi, quali vulgo volunt, rem plene explicari posse. Quin vel istiusmodi exempla dubitationem iniicere poterant, cuiusmodi est hoc Thucyd. VII, 71. ἐν τοῖς χαλεπώτατα διῆγον. Nam qui μάλιστα alias copulandum putarent cum illis, ἐν τοῖς, non cum attributo s. praedicato; num forte etiam ex Thucydidio illo eruere volebant ἐν τοῖς μάλιστα χαλεπῶς? Et vbi idem scribit (VIII, 90.) ἀνὴρ ἐν τοῖς μάλιστα ἐναντίος, nonne id etiam aliter efferre potuisset (ἐν τοῖς ἐναντιώτατος,) nisi verba, καὶ ἐκ πλείστου, eum ad alterius structurae genus deduxissent?

Verum dissimulare non possum, Reizii quoque mei rationem in soluendis exemplis iis, vbi ἐν τοῖς cum femininis iungitur, vel deficere, vel paullo duriorem videri. Mihi quidem talia exempla primum caussam dederunt quaerendi, *quonam genere* a Graecis dictum esset illud τοῖς. Nam in ceteris locis, qui plures vtique sunt numero, nihil nos vetat illud pro masculino accipere. Sed quid faciendum duobus istis Thucydidis, quos modo repetebam, a Reizio positos? Quid huic ex Dionys. Halic. de Isocr. c. 2. Τὴν διάλεκτον ἀκριβοῦσα

(ἡ λέξις

ad id quod agitur, quanquam in hac formula nihil post articulum sequitur, quod cum eo sit constructum, quia

(ἡ λέξις Ἰσοκράτους) ἐν τοῖς πάνυ τὴν κοινὴν καὶ συνηθεστάτην? Quid huic ex Plut. de Is. et Os. p. 83. Squir. Τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν — χημίαν καλοῦσι? Atque horum locorum similes sunt plures apud Plutarchum, Appianum, alios eiusdem circiter aetatis. Ad quorum normam, vix dubites, quin, vel nondum plane cognita formulae Syntaxi, corrigi debeant hi loci Dionys. Hal. A. R. IV, 14. Ἑορτὴν — σεμνὴν ἐν ταῖς πάνυ καὶ πολυτελῆ. Cap. 15. Ἑορτήν τινα, καὶ ταύτην ἐν ταῖς πάνυ τιμίαν etc.

Iam haec expendenti comparantique illud τοῖς vbique videatur neutrum esse: mihi vero probabile fit, totam hanc loquendi formam primum ab sermonis vsu minus diligente esse profectam, id quod in aliis multis elliptici idiomatis formis factum est, praesertim in Graeco sermone. Tum omnino non est mirum, si passim difficilius procedit resoluendi ratio. Nam veteres ipsi, quum talia ex prima et propria sede loquendo transferrent in alienam, obscura quadam analogia ducti, de soluendi ratione et caussis nihil subtilius cogitasse videri debent. Ceterum Reizii illud *omnium* non vbique aptari potest, etsi plerumque potest. Non potest enim Thucyd. III, 17. hoc, ἐν τοῖς πλεῖσται νῆες, aliter verti quam, *naues longe plurimae.* At hoc iam antea tetigi.

Addam duo loca, quae, vt alia multa, propter huius formulae vim aut ignoratam, aut neglectam, coniecturis infestarunt viri graece doctissimi. Ita ap. Aristid. Or. 1. in Iou. fere med. Ἔρωτα ἐν τοῖς πρῶτα ἐγέννησεν, Canterus emendabat, ἐν τοῖς πρώτοις. Frustra. Est

quia tamen id quod ad eum referri debet, in iis quae post eum sequuntur, comprehensum accipitur: non puto articuli pronuntiationem esse in hac formula intendendam.

Illud mirum est, quamobrem ii articuli praepositiui qui adspirantur, nec habent per se tenorem, pronominibus vicarii substituti, vbi partitio aut oppositio fit, ne apud Homerum quidem accentu graui notentur: quum tamen apud eum extra oppositionem aut partitionem semper a veteribus editoribus cum illo scribi soleant. Ὁ μὲν ἥπτετο χείρεσι γούνων, Ἱέμενος λίσσεσθ᾽· ὁ δὲ φάσγανον οὔτα κατ᾽ ἧπαρ. *Il.* 20, 468. Τῇ ῥα δύω τελαμῶνε περὶ στήθεσσι τετάσθην, Ἤτοι ὁ μὲν σάκεος, ὁ δὲ φασγάνου ἀργυροήλου. 14, 404. Nam etiam ὃ μὲν et ὃ δὲ pronuntiandum esse cum vocis impulsione, intelligimus et e similitudine rationis, et ex eo quod

B 4 Eustathium

Est enim, *Amorem Iupiter genuit omnium primum.* Alterum exemplum est Herodot. VII, 137. quod caput duplici coniectura tentat Valckenarius, qua omnis sententiae tenor de loco suo detrudatur. Legitur ibi, τοῦτό μοι ἐν τοῖσι θειότατον φαίνεται γενέσθαι. Quaerit Valcken. ἐν τοῖσι, *quibus* tandem? Mox corrigit. At verba sic erant vertenda: *Non dubito, quin res ita facta sit plane diuinitus,* s. *praecipuo quodam consilio diuino.* Poscit hanc explicationem totius sententiae nexus et perpetuitas, quum distinguatur τὸ θεῖον, h. *quod fit singulari interventu numinis,* et τὸ δίκαιον, h. *quod fit ex iusti et aequi legibus. W.*

Euſtathium ſupra dicere audiuimus, τοιοῦτον καὶ τὸ, ὁ μέν: καὶ τὸ, ὁ δέ. καὶ αὐτὰ γὰρ ὀξυφωνούμενα ἀντὶ ἀντωνυμιῶν κεῖνται. Minus proprie dicit ὀξυφωνούμενα, quum de ſoni vehementia loquatur, non de tenore acuto. Forſitan haec diſſentanea varietas fuerit cauſſa, quae mouit nonnullos Homeri editores, vt etiam in ſimplici oratione articulos praepoſitiuos qui adſpirantur, fungentes pronominis poteſtate, accentu inſignire omitterent, alii conſtantius, alii minus conſtanter.

Nolui ab Euſtathio aliisque veteribus Grammaticis in diuerſam abire ſententiam, qui eos quatuor articulos pronominales qui adſpirantur, ὅ, ἥ, οἵ, αἵ, praepoſitiuos eſſe dicunt. Nam duo hi poſtpoſitiui, ὅς, et οἵ, vt paullo poſt videbimus, hac poteſtate omnino adhibentur etiam a proſaicis, qui nullum praepoſitiuum ea poteſtate ſolent adhibere, praeterquam in aliqua earum orationis formarum quas indicauimus. Errori videtur cauſſam dediſſe, quod quum ex quatuor illis articulis praepoſitiuis cum accentu ſcriptis, vnus tantum ſit ὅ, inter quem et poſtpoſitiuum ὅς, diſcrimen aliquod intercedat, a Doribus et eorum exemplo ſaepiſſime a poetis minui conſueuit ὅς, in ὅ, abiecta littera ſibilante. Quod ſi verum eſt, hos articulos poſtpoſitiuos eſſe potius quam praepoſitiuos, nulla eſt ea varietas apud Homerum, quod iſti articuli extra oppoſitionem aut partitionem habent accentum, non habent eum in oppoſitione aut partitione: ſunt enim diuerſi, prout oratio eſt aut ſimplex, aut comparata: ſi ſimplex, poſtpoſitiui; ſi comparata, praepoſitiui.

b) Idem

b) Idem articulus in quibus terminationibus a littera τ incipit, locum postpositiui obtinens in Ionismo. Ἀπόλλωνι ἄνακτι, τὸν ἠΰκομος τέκε Λητώ. *Il.* 1, 36. Ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἐξεπράθομεν, τὰ δέδασται. 1, 125. (Ἀλλ' ἅ τινα μὲν τὰς πόλεις διαπορθήσαντες, ἐξ αὐτῶν ἐξειλόμεθα, ταῦτα μεμέρισται.) Τὰ γὰρ τοπάλαι μεγάλα ἦν, τὰ πολλὰ αὐτῶν σμικρὰ γέγονε· τὰ δὲ ἐπ' ἐμεῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρά. Herodotus 1, 5. Hunc vsum articuli, quanquam notissimum illum, haud perspexerunt, qui alium eiusdem Herodoti locum 3, 47. scripserunt et ediderunt sic, Τῶνδε εἵνεκα θωϋμάσαι ἄξιον ἀρπεδόνη ἑκάστη τοῦ θώρηκος ποιέει. Vertunt, *Ob id admiratione dignum faciunt thoracis licia.* Recte. Sed quum thorax sit, de quo sermo est, an ita Herodotus in vno breui et simplici membro loqueretur, *eum thoracem admiratione dignum faciunt thoracis licia?* Omitto alia, ob quae mihi haec videtur suspecta esse oratio. Wesselingius nihil neque in Graecis verbis mutauit, nisi quod post ἄξιον posuit comma, neque in versione correxit, neque in annotatione admonuit. Leuissime corrigas, Τῶν δὲ εἵνεκα θωϋμάσαι ἄξιον, ἀρπεδόνη ἑκάστη τοῦ θώρηκος ποιέει. *Ob quae autem merito mireris, faciunt singula thoracis licia* [13]). — Nimis argutatur super hoc vsu articuli Gregorius *de Dial.* pag. 177. Τοῖς ὑποτακτικοῖς ἄρθροις τοῖς ἀπὸ Φωνήεντος ἀρχομένοις, προστιθέασι τὸ τ οἱ Ἴωνες. Hanc friuolam et ina-

 nem

13) Conf. Herodot. II, 65. IV, 82. et Procop. B. G. p. 15. REIZ. *in marg.*

nem argutiolam vnde petierit, nescio. Etiam nos Germani saepe in lingua vernacula praepositiuum articulum adhibemus loco postpositiui. *Ein groß Licht, das den Tag regiere.* Nec vero ab Ionibus tantum hic vsus frequentatur, sed admissus est etiam a Pindaro, a Theocrito, et in Choris Tragicis.

c) Articulus postpositiuus *ὅς*, in eiusdem pronominis *οὗτος* locum substitutus. Ἀλλὰ καὶ ὃς δείδοικε Διὸς μεγάλοιο κεραυνόν. *Il.* 21, 198. Πάτροκλον κλαίωμεν· ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. 22, 9. Reliquarum huius articuli per genera et casus mutationum hae tres, *ἥ*, *οἵ*, *αἵ*, sunt eaedem quae articuli praepositiui, quarum exempla iam dedimus: neque vnquam in mutationibus ceteris postpositiuus hac significatione vsurpatur. — Prosaicis in vsu est *ὅς*, et *οἵ*, post coniunctionem *καί*. Καὶ οἳ, διαλυθέντες ἐκ τοῦ συνεδρίου, ἐσέβαινον ἐς τὰς νῆας. Herodotus 8, 56. Καὶ ὃς ἀκούσας ταῦτα, καταπηδήσας ἀπὸ τοῦ ἵππου, ὠθεῖτο αὐτὸν ἐκ τῆς τάξεως. Xenophon *C. A.* l. 3. exeunte. Καὶ ὃς εἰρωνικῶς πάνυ ἐπισχὼν, ὥς τι μέγα σκοπούμενος, εἰπέ μοι, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἔστι σοι Ζεὺς πατρῷος; Plato *Euthyd.* 280, 47. Male ibi [14]) legitur, Καὶ ὅ, vt quod nec Platoni est, nec alii prosaico vsitatum. Est autem formula ista celeberrima, Καὶ ὃς ἔφη, Καὶ

ὃς

14) Nempe in Basil. prima, qua vna Reizius videtur vsus esse, et in Aldina. Ceterae recte habent *καὶ ὅς*, quod firmat etiam codex Vindob. qui in Supplem. Kollar. numeratur LIV. cuius lectionibus vtor. *W*.

ὃς εἶπε. — Singularis et Platoni magis etiam frequentata haec est formula, ἦ δ' ὅς. Verum etsi articulus in ea est aeque pronominalis, tamen quia post verbum collocatus est, non puto eum esse maiore vi pronuntiandum. — Videor mihi apud prosaicos etiam articulum neutro genere, ὅ, pro τοῦτο positum obseruasse. ὃ δὲ καὶ σοὶ μάλιστα προσήκει ἀκοῦσαι, ὅτι οὐδὲ τοῦ χρηματίζεσθαί φατον διακωλύειν οὐδὲν, μὴ οὐ παραλαβεῖν ὁντινοῦν εὐπετῶς τὴν σφετέραν σοφίαν. Plato *Euthyd.* 281, 39. ὃ δὲ πάντων ἀλογώτατον, ὅτι οὐδὲ τὰ ὀνόματα οἷόν τε αὐτῶν εἰδέναι καὶ εἰπεῖν. Idem *S. A.* 7, 32. ὃ δὲ πάντων δεινότατον, ὦ δικασταί· οὗτος γὰρ συντριηραρχῶν Ἀλέξιδι etc. Lysias *c. Diogit.* p. 907. ὃ τοίνυν μέγιστον ἁπάντων· ὁ γὰρ εἰς τὴν προτέρην γράψας ἐπιστολὴν ἣν ἠνέγκαμεν ἡμεῖς, ὅτι etc. Demosthenes *de falsa legat.* p. 353. In his locis planum est, idem significare ὅ, quod τοῦτο, nisi velis dicere, in principio membri consequentis aut haec verba, τοῦτό ἐστι, praetermissa et subintelligenda esse; aut illatam particulam, a Platone ὅτι, a Lysia et Demosthene γάρ, delendam, quorum neutrum est, vt mihi videtur, probabile.

Datiuus ᾧ, in hac formula, ἐφ' ᾧ, pro qua etiam cum pleonasmo coniunctionis τε saepius dicitur ἐφ' ᾧ τε, vsurpatur maxime singulariter. Formulae significatio est, *hac lege, vt;* verbum autem sequitur et infinitiui et indicatiui modi [15]). Διαλλαγή

15) Verum hoc esse monstrant exempla, statim apposita. Errat igitur Hoogeu. in Doctr. P. G. Cap. LV. §. 34 sqq. dicens,

γή σφι ἐγένετο, ἐπ' ᾧ τε ξείνους ἀλλήλοισι εἶναι καὶ ξυμμάχους. Herodotus 1, 22. πείθουσι Θεμιστοκλέα ἐπὶ μισθῷ τριήκοντα ταλάντοισι, ἐπ' ᾧ τε καταμείναντες πρὸ τῆς Εὐβοίας ποιήσονται τὴν ναυμαχίην. Idem 8, 4. σπονδὰς ποιησάμενοι, ἐφ' ᾧ τοὺς ἄνδρας κομιοῦνται. Thucydides 1, 113. οἱ δ' ἔφασαν ἀποδώσειν, ἐφ' ᾧ μὴ καίειν τὰς κώμας. Xenophon C. A. 4, 2. f. 19. Huius constructionis qui me rationem doceret, frustra quaesiui. Eustathius pag. 1486, 57. e Demosthenis Thracis paraphrasi Odysseae locum recitat, in quo sunt haec verba, ἐφ' ᾧ τε σώζεσθαι. Ad ea quid ille annotarit, mirum dictu est. Ἔνθα ὅρα τὸν τε σύνδεσμον Ἀττικῶς πλεονάσαντα κατὰ τὸ παρέλκον, ὡς καὶ ἐν τῷ, ἄλλως τε καὶ εἰ οἷόν τε. Quasi aliquis in hoc pleonasmo, aut in eo solo haerere possit. Deinde pleonasmus iste non est Atticorum proprius, sed maxime omnium communis. Postremo in hac formula, quam similem esse vult, ἄλλως τε καί, num pleonasmus est vllus? Nonne coniunctio τε in ea necessarium locum habet, vt significetur id, quod comprehensum est vno Latino vocabulo, *praesertim?* In Scholiis ad Thucydidem nihil quidquam est, quod nos magis erudiat. Vide mihi, quid annotet Scholiastes ad haec verba, ἐφ' ᾧ τε ἐξίασιν, 1, 103. Ἀντὶ τοῦ, ἐπὶ τῷ ἐξιέναι. ἰδίωμα δὲ τοῦτο Θουκυδίδου. Thucydideum

dicens, ἐφ' ᾧ construi cum verbo et finito et infinito; ἐφ' ᾧ τε nonnisi cum infinito. Huiusmodi errores et plures sunt et grauiores in hoc opere, ceteroquin vtilissimo. *W.*

cydideum hoc idioma esse dicit, et quod ἐφ' ᾧ τε, pro ἐπὶ τῷ, et quod verbum finitum pro infinito adhibeat. Neutram ob caussam hoc Thucydidis est, sed ipsius linguae idioma, quod etiam alii scriptores, et Attici, et Ionici, vsurparunt. Deinde, quod scire cupiebamus, non docet, qua ratione fiat, vt ἐφ' ᾧ et ἐφ' ᾧ τε possit non solum dici pro ἐπὶ τῷ, sed etiam cum verbo finito construi. Longum est, alios aliorum errores arguere. Mihi videtur articuli postpositiui casus datiuus ᾧ et ᾧ τε, cum ellipsi nominis τρόπῳ seu λόγῳ, in antiquissima Graecorum lingua significasse *hoc modo, hoc pacto, sic*, per demonstrationem, et *quomodo, quemadmodum, vt*, cum relatione. Aduerbium quidem ὧδε, quod ortum est ex datiuo casu pronominis obsoleti ὅςδε, significat *sic*. Et in tribus locis Pindaricis *Nem.* 6, 47. 7, 90. et 137. articuli postpositiui ὅστε casus datiuus ᾧτε, seu nullo iota subscripto, aduerbium ὧτε occurrit, significans *vt*. (Praue alii scribunt ὥτε, acuta penultima.) Idem etiam hinc patet, quod ex ᾧ factum est et ὧς, oxytonon, *sic*, et ὡς, barytonon, *vt*; et ex ᾧτε, ὥστε, quod ipsum quoque significat et *sic*, ea potestate qua *itaque* dicimus, et *vt*. Iam ὡς et ὥστε, quum significant *vt*, adhibentur similiter atque ipsa haec Latina particula quam significant, non modo tanquam aduerbia similitudinis, sed etiam tanquam coniunctiones caussales, ad finem cuius caussa quid agitur, significandum: et hac altera potestate modum verbi promiscue indicatiuum atque infinitiuum adsciscunt. Si ergo antiquitas ᾧ et ᾧ τε pro istis ipsis particulis, ὡς et

et ὥστε, quarum sunt origo, adhibuit: patet, ἐφ' ᾧ et ἐφ' ᾧ τε, idem esse quod ἐπὶ τῷ ὡς et ἐπὶ τῷ ὥστε. Huius igitur antiquissimae locutionis vsum retinuit consuetudo, postquam ᾧ et ᾧ τε iam seorsum per se, aut cum alia orationis parte coniunctum, desierat ὡς et ὥστε significare. Itaque factum est, vt nonnunquam prorsus ita loquerentur, quasi ἐφ' ᾧ et ἐφ' ᾧ τε vna composita dictio esset. Plato *S. A.* §. 17. ἀφίεμέν σε· ἐπὶ τούτῳ μέντοι ἐφ' ᾧ τε μηκέτι ἐν ταύτῃ τῇ ζητήσει διατρίβειν, μηδὲ φιλοσοφεῖν.

Adhibetur autem articulus postpositiuus etiam in personis vel rebus tum partiendis, tum inter se opponendis. Quem vsum eius ignotum aut improbatum Homero et aliis antiquioribus fuisse video: sed paullatim et a poetis et a prosaicis admissus est, ita quidem, vt iam in altero partitionis vel oppositionis membro articulum postpositiuum, in altero praepositiuum, aut aliam aliquam dictionem; iam in vtroque membro eundem postpositiuum vsurparent. Ἀλλ' ὁ μὲν αὐτὸς τῖσε κακὸν χρέος· ὃς δὲ φίλοισιν Ἄτην ἐξοπίσω παισὶν ἐπεκρέμασεν. Theognis 205. Καὶ τόδε Φωκυλίδου· Λέριοι κακοὶ, οὐκ ὁ μὲν, ὃς δ' οὔ. Apud Strabonem l. 10. Ἀμφότεροι παγαῖς πεφιλάμενοι· ὃς μὲν ἔπινε Παγασίδος κράνας, ὁ δ' ἔχεν πόμα τᾶς Ἀρεθοίσας. Moschus *in Epitaphio Bionis* 77. Ἐὰν οἷς ἔχομεν, τοῖς γε μηδὲ χρώμεθα, Ἃ δ' οὐκ ἔχομεν, ζητοῦμεν· ὧν διὰ τύχην, Ὧν δὲ δι' ἑαυτοὺς ἐσόμεθ' ἐστερημένοι. Philemon *in fragm.* p. 342. extr. Οἱ μὲν παρ' οὐδὲν εἰσιν, οἷς δ'

οὐδὲν

οὐδὲν μέλει. Rhinthon apud Ciceronem *ad Att.* 1, 20. Καὶ οἱ πέρδικες δύο ποιοῦνται τῶν ᾠῶν σηκούς· καὶ ἐφ' ᾧ μὲν ἡ θήλεια, ἐπὶ θατέρῳ δὲ ὁ ἄῤῥην ἐπωάζει. Aristoteles *H. A.* 8, 6. Πρὸς δὲ τὸ μέσον ἀντίκειται, ἐφ' ὧν μὲν μᾶλλον ἡ ἔλλειψις, ἐφ' ὧν δὲ ἡ ὑπερβολή. Idem *Eth.* 2, 8. Ἀλλ' ὁ τὴν Εὔβοιαν ἐκεῖνος σφετεριζόμενος, . . . καὶ πόλεις Ἑλληνίδας, ἃς μὲν ἀναιρῶν, εἰς ἃς δὲ τοὺς φυγάδας κατάγων, etc. Demosthenes *de Cor.* p. 248. Ἐπειδὴ Φίλιππος, ἃς μὲν κατείληφε πόλεις τῶν ἀστυγειτόνων, τινὰς δὲ πορθεῖ, etc. E psephismate, ibid. p. 282. Καὶ γὰρ Ἑλληνίδας πόλεις, ἃς μὲν ἐμφρούρας ποιεῖ, καὶ τὰς πολιτείας διαλύει· τινὰς δὲ καὶ ἐξανδραποδιζόμενος κατασκάπτει· εἰς ἐνίας δὲ καὶ ἀντὶ Ἑλλήνων βαρβάρους κατοικίζει. Ex alio psephismate, ibid. p. 289. — Pythagorei, qui Dorice scripserunt, hac forma plurimum sunt vsi, eaque semper fere simplici, non mixta [16]).

Homerum negaui vsquam ita locutum esse. At Apollonius Alexandrinus *de Synt.* 1, 47. quum dixisset, articulos postpositiuos habere tunc verbum commune,

16) Sic Eurypham. de vita p. 668. ed. Gal. Τέλγει δὲ γινόμενος, ἃ μὲν παρ' αὐτόν, ἃ δὲ καὶ παρὰ τὰν ἔξωθεν αἰτίαν. Et iterum paullo mox: Καὶ ἃ μὲν τὰν προαίρεσιν καὶ τὸν λόγον ὀρθὸν παρέχεσθαι· ἃ δὲ τὰς ἐνεργείας καὶ τὰς πράξιας. Hoc idem est quod τῇ μέν, τῇ δέ. Ad hoc exemplum etiam Latini dixerunt, *Qua, qua,* pro *Partim, partim.* In Stephani Thesauro L. Gr. de illo Dorum vsu desideres diligentiam. *H.*

mune, quando perſonas et res distribuerent, exemplum inter cetera hoc poſuit ex Homero: *Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν· Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος. Od.* 1, 23. Ita poſterior verſus et in Homeri editionibus, et apud ipſum Apollonium legitur: ſed Apollonium patet legiſſe articulos cum accentu, et eos pro poſtpoſitiuis accepiſſe. In quo eum feſellit ſui temporis et loci patrii conſuetudo, a qua didicit in ſimili orationis forma ipſe articulos poſtpoſitiuos adhibere. Si eadem conſuetudo iam Homeri fuiſſet, cur quoties ille duos articulos vnum commune verbum habentes, earum formarum vna poſuit, in quibus diſcrimen praepoſitiui et poſtpoſitiui confundere nequeas, toties praepoſitiuos adhibuit, non poſtpoſitiuos? Attuli ſupra iam hunc locum, *Τῇ ῥα δύω τελαμῶνε περὶ στήθεσσι τετάσθην, Ἤτοι ὁ μὲν σάκεος, ὁ δὲ Φασγάνου ἀργυροήλου. Il.* 14, 404. Sed pertinacior aliquis Apollonii tuendi cauſſa poſſit dicere, ſcribendum eſſe, *ὃ μὲν σάκεος, ὃ δὲ Φασγάνου*, et lingua Dorica vſurpari *ὅ*, pro *ὅς*. Ergo aliud exemplum dabimus. *Ἴδε δὲ Τρῶας καὶ Ἀχαιούς, Τοὺς μὲν ὀρινομένους, τοὺς δὲ κλονέοντας ὄπισθεν. Il.* 15, 6. Cf. 14, 13. Quoniam igitur in quibus formis vterque articulus plane dignoſci poteſt, in iis Homerus nunquam non praepoſitiuos adhibuit: omnino etiam in ceteris, in quibus alter articulus ab altero minus aperte differt, praepoſitiuos potius quam poſtpoſitiuos exiſtimandus eſt adhibuiſſe.

Miretur aliquis, potuiſſe duos eiusdem circiter aetatis homines, vtrumque ſua laude praeſtantem,

alterum

alterum orationis elegantia et facultate, alterum artis peritia et subtilitate, Lucianum et Apollonium, tam iudicio inter se discrepare, vt alter in Soloecista hunc articuli postpositiui vsum plane pro soloecto, alter pro legitimo et necessario haberet. Dicam ego meam hac de re opinionem. Scriptores Attici, qui saeculo ante Christum natum quinto floruerunt, aut qui eo saeculo nati et adulti, partem priorem quarti nobilitarunt, poetae, oratores, historici, philosophi, Aeschylus, Sophocles, Euripides, Aristophanes, Antiphon, Andocides, Lysias, Isocrates, Isaeus, Thucydides, Xenophon, Plato: hi omnes vsum istum de quo loquimur, spreuerunt. Vnius quidem Xenophontis vnus locus est a viris doctis notatus, vbi eum vsum admisit. *οὗτοι ἂν σοι, εἴ τισιν ἐντυγχάνοιεν τῶν Ἀσσυρίων, οὓς μὲν ἂν συλλαμβάνοντες αὐτῶν κωλύοιεν τῶν ἐξαγγελιῶν, οὓς δὲ μὴ δύναιντο λαμβάνειν, ἀποσοβοῦντες ἂν ἐμποδὼν γίγνοιντο τοῦ μὴ ὁρᾷν αὐτοὺς τὸ ὅλον στράτευμα.* C. P. 2, 4. §. 23. Prius illud *οὓς*, insolitum est lectori Xenophontis. Xenophontea oratio esset, aut haec, *τοὺς μὲν ἂν συλλαμβάνοντες αὐτῶν κωλύοιεν τῶν ἐξαγγελιῶν*, aut haec, *οὓς μὲν δύναιντο λαμβάνειν αὐτῶν, συλλαμβάνοντες ἂν κωλύοιεν τῶν ἐξαγγελιῶν.* Dicemusne, scriptam esse Cyropaediam a Xenophonte sene, qui dudum patria carens, et in Peloponneso viuens, ibi eum vsum didicerit? Quare igitur in octo libris Cyropaediae semel tantum ita locutus est? Quare non in libris vltimis rerum Graecarum, anno tertio ante ipsius mortem desinentibus? in Agesilao, quem librum non toto bien-

nio ante mortem ſcripſit *)? Valde igitur ſuſpecta mihi eſt iſta lectio vulgata. Qui ſaeculo quarto nati ſunt, ab eorum nonnullis primum parce hic vſus receptus eſt. In Demoſthenis Oratione de corona ter (pag. 248. 282. 289.) adhibitum video: in plerisque aliis eius orationibus haud inuenias. Mox deinde, vt ab Hemſterhuſio eſt ad Thomam obſervatum, Comoedia noua liberius adſciuit: maximeque poſtea frequentarunt ii omnes, qui communi quam vocant lingua ſcripſerunt. Non tamen ita omnes hanc formam ſectati ſunt, vt aut eam ſolam neglecta vetere, aut vtramque diuerſo vſu adhiberent. Sed Alexandrini, apud quos litterarum ſtudia maxime vigebant, certum vtriusque formae discrimen ſtatuerunt. Nam articulos poſtpoſitiuos adhibuerunt, ſi aut eorum verbum eſſet commune, aut ſi nomen praecedens, ad quod articuli referuntur, eodem caſu quo ipſi articuli poſitum eſſet. Prioris conſtructionis hoc exemplum dat Apollonius 1, 47. *Διέπτησαν δύο ἀετοί· ὃς μὲν, ἀπ' ἀνατολῶν· ὃς δὲ, ἀπὸ δύσεως.* Quanquam etiam in hoc genere, ſi ex negationis oppoſitione ſit partitio, poteſt vterque articulus proprium ſuum verbum habere: ſed alterius verbum nihil aliud erit, niſi figura negationis. Ipſe Apollonius 3, 1. princ. *ἃ μὲν, αἴτια γίνεται ἀκαταλληλότητος· ἃ δὲ, ἀδιαφορεῖ.* Nimirum idem eſt, *ἀδιαφορεῖ*, quaſi dixiſſet, *αἴτια οὐ γίνεται ἀκαταλληλότητος.* Poſterioris conſtructionis, de qua minus perſpicue Apollonius tradit, exemplum in illis verbis habes, quae ſupra ex Demoſthene attulimus: *καὶ πόλεις Ἑλληνίδας, ἃς μὲν ἀναιρῶν,*

ἀμπαιρῶν, εἰς ἃς δὲ τοὺς Φυγάδας κατάγων. Hinc ergo factum eſt, vt Apollonius et ipſe adhiberet loquendi formam aetate ſua vſitatam, et veterem ad eam exigeret. Lucianus autem profecto non debet exiſtimari formam iſtam ſoloecam iudicaſſe. Non dicam, quod ipſe aliquoties illa vtitur, in Aſino, in Timone, in Ῥητόρων Διδασκάλῳ. Poteſt enim reſponderi, quas perſonas Lucianus ita loquentes inducat, latronem, philoſophum nugatorem et ſceleſtum, rhetorem nequam et fatuum, eas perſonas ita loqui decere. Quanquam equidem ceteram orationem harum ipſarum perſonarum eſſe bene Graecam intelligo. Sed certe non potuit eam formam vt ſoloecam damnare, quam a ſcriptoribus haud malis iam per tot ſaecula vſurpatam eſſe non ignoraret. At propoſuit eam formam inter cetera exempla ſoloeciſſantia. Nempe Soloeciſmum vocarunt Sophiſtae illius temporis, quidquid non eſſet veteris elegantiae Atticae [17]). Phrynichi exemplo, quos probarint auctores, videre licet. Eum Photius narrat probaſſe hos tantum, primo quidem loco, Aeſchylum, Sophoclem, Euripidem; ſecundo loco, Platonem, Demoſthenem, et Aeſchinem Lyſaniae filium; tertio denique loco, Ariſtophanem, Thucydidem, Xenophontem, reliquos nouem oratores, Critiam Calaeſchri filium, et Antiſthenem. Hos igitur Sophiſtae ita probabant, vt quae illi non vſurpaſſent vocabula et loquendi genera, haec tanquam barba-

 ra

17) Conf. Pierſoni Praef. ad Moerid. p. XXXIX ſqq. W.

ra et soloeca repudiarent. Eorum pars deterior, vt fit, scriptores aequales etiam optimos ac disertissimos, qui non omnia quae noua essent aspernarentur, deridebant et contemnebant: quum interim ipsi non modo essent maxime ieiuni atque inficeti, sed ne didicissent quidem satis, neque quid antiquum, neque quid rectum omnino et elegans esset, dicerentque plurima non tantum noue, sed etiam praue atque absurde. Talem Sophistam et eius nimiam eruditionem ludos facere voluit in isto dialogo suo Lucianus, iudicanda illi proponens varia exempla, quorum alia vere soloecissarent, alia modo Attica non essent, alia etiam Attica, sed vsu rariora, vel aliquo modo suspecta: quorum omnium Pseudosophista nullum neque agnoscere potuit, neque defendere.

d) Verbum imperatiui modi, τῆ, forma Ionica pro τᾶ, quod est contractum ex τάε, h. e. λαβέ [18]). Κύκλωψ, τῆ, πῖ' οἶνον. *Od.* 9, 347. Sed hanc dictionem ego, non tam vt arguatur diuersa esse ab articulo, quam quod significatio eius ipsa hoc exigit, cum vehementia quadam pronuntiari debere puto. Cuiusmodi fortasse plures aliae dictiones erunt, quas hic persequi opus non est.

e) Praepo-

18) Bene R. sequitur Eustathium. Paullo aliter deriuat Schol. ad Aristoph. Au. 1310. quem et alii vett. Grammaticorum sequuntur, vt τῆ sit pro τῆθι, sicut ἵστη pro ἵσταθι, πίπλη pro πίπληθι, a verbi forma τῆμι. Quod potius Atticorum est. Conf. Schol. ad Nubb. 633. *W.*

ε) Praepositiones, omisso aut pronomine quod subiungendum, aut verbo quod componendum erat.

α) Ἔνθα καθεῦδ' ἀναβὰς· παρὰ δὲ, χρυσόθρονος Ἥρη. Plenum, παρὰ δ' αὐτῷ. *Il.* 1, 611. ἔνθα μοι ἵπποι Δώδεκα θήλειαι· ὑπὸ δ', ἡμίονοι ταλαεργοὶ Ἀδμῆτες. Plenum, ὑπὸ δ' αὐταῖς. *Od.* 4, 635. Σμερδαλέη κεφαλή· ἐν δὲ, τρίστοιχοι ὀδόντες. Plenum, ἐν δ' αὐτῇ. 12, 91. Πρὸς δ', ἐμὲ τὸν δύστηνον ἔτι φρονέοντ' ἐλέαιρε. Plenum, πρὸς δὲ τούτοις. *Il.* 22, 59. Vt haec exempla docent, pronomen quod post praepositionem omittitur, est αὐτός, vel οὗτος, (rarissime aliud, Eurip. *Hippol.* 1269.) omittiturque in transitione, facta per particulam δέ. Iones hac ellipsi non tantum in carmine, sed etiam in prosa vtuntur. Nihil ea frequentius apud Herodotum. In carmine vtuntur etiam Dores: exempla sunt in choris fabularum tragicarum, qui omnes dorissant. Attici nec in carmine vtuntur, nec in prosa, nisi post vnam praepositionem πρός, et id varie. Οὐκ ἔστι· καὶ πρός γ', ἐξελῶ σφε τῆσδε γῆς. Eurip. *Hippol.* 893. Καὶ πρὸς, ἐπὶ τούτοις εἶπεν ἀποπέμπων, ὅτι etc. Aristophanes *Pl.* 1002. τάλαντα ἐννενήκοντα, καὶ μικρόν τι πρός. Demosthenes *Phil.* 1. p. 47. ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι τοῦτον τὸν λόγον κατὰ πόλλ' ἀσύμφορον εἶναι τῇ πόλει λέγεσθαι· πρὸς δὲ, καὶ οὐ δίκαιον. Idem *adu. Lept.* p. 491. Sed Atticistae, vt Lucianus et Aelianus, aliquando etiam post μετὰ δὲ, pronomen ταῦτα omittunt.

β) Νήξομ', ἐπεὶ οὔ μέν τι πάρα προνοῆσαι ἄμεινον. Πάρα, pro πάρεστι. *Od.* 5, 364. ἐπεὶ μάλα πῖαρ ὕπ' οὖδας. Ὕπο, pro ὕπεστι. 9, 135. Ἀλλ' ἄνα, μὴ τάχα ἄστυ πυρὸς δηΐοιο θέρηται. Ἄνα, pro ἀνάστηθι. *Il.* 6, 331. Ὤρνυτο δ' αὐτίκ' ἔπειτα ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων, Ἀν δ' Ὀδυσεὺς πολύμητις. Repetendum eſt, ὤρνυτο. 3, 267. Ἔνθ' ἄλοχόν τε φίλην ἔλιπον καὶ νήπιον υἱόν, Κὰδ δὲ κτήματα πολλά. Repetendum, ἔλιπον. 5, 480. Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστύς. Repetendum ex priore verſu, τέτυκτο. 14, 216. In oratione proſa nullius verbi poſt praepoſitionem ellipſis apud Atticos vſitata eſt, niſi vnius εἰμί, et quidem poſt diſyllabum. Τοῦτο δὲ οὐκ ἔνι νῦν ἐν τοῖς πεπραγμένοις Φιλίππῳ. Demoſthenes *Olynth.* 2. pag. 21. Apud Iones autem ſi verbum cum praepoſitione compoſitum repetendum eſt, repetitur ex eo ſola praepoſitio. Herodotus 8, 89. ἀπὸ μὲν ἔθανε ὁ στρατηγὸς Ἀριαβίγνης, . . . ἀπὸ δὲ ἄλλοι πολλοί. Et 3, 126. κατὰ μὲν ἔκτεινε Μιτροβάτεα, . . . κατὰ δὲ, τὸν Μιτροβάτεω παῖδα [19]).

Praepoſi-

19) Adde genus iſti ſimillimum, vbi poſt ἐν δὲ nullum eſt nomen, quod ſubaudias. Huiusmodi eſt Herodot. I, 74. Μετὰ ταῦτα πόλεμος τοῖσι Λυδοῖσι καὶ τοῖσι Μήδοισι ἐγεγόνεε ἐπ' ἔτεα πέντε· ἐν τοῖσι πολλάκις μὲν οἱ Μῆδοι τοὺς Λυδοὺς ἐνίκησαν, πολλάκις δὲ οἱ Λυδοὶ τοὺς Μήδους· ἐν δὲ, καὶ νυκτομαχίαν. Scilicet antecedit hic oratio, quae aliis verbis hoc ſignificat, inter Lydos et Medos πολλὰς μάχας γενέσθαι· atque hinc poſt ἐν δὲ facile quisque tacitus repetit, πολλαῖς ταύταις μάχαις. *W.*

Praepositiones disyllabae, vt ex Homericis exemplis videre licet, (nam Herodoteorum alia ratio est, quam statim reddemus,) quum post illas verbum supplendum est, fiunt ex oxytonis paroxytonae: quam ob caussam nec puto eas esse vehementius pronuntiandas. At quum pronomen supplendum est, quoniam tum accentus non variat, pronuntiatio earum in extrema quidem syllaba quae accentum habet, videtur sonum paullo vehementiorem desiderare. Monosyllabae autem omnes, quod eae accentum aut non habent, aut quem habent, mutare non possunt, meo iudicio cum soni quadam vehementia pronuntiari volunt. In exemplis Herodoteis et praepositio est disyllaba, et verbum deest post ἀπὸ δέ, κατὰ δέ, repetendum illud ex membro priori: sed enumerat oratio aliquid, et in enumeratione id proprium Graecismi est, vt quam dictionem habeat ante se particula μέν, eadem illa repetatur ante particulam δέ. Quoniam igitur praepositio ante μὲν collocata, insequente verbo a quo auulsa est, neque accentum retrahit, neque in syllaba quae accentum habet, vehementiam vllam soni requirit: eadem ante δὲ repetita, licet non repetito etiam verbo, nullam patitur mutationem.

Praepositionem ἀνά, monosyllabam factam abscissa vltima vocali, satis inconstanter plerique modo sine accentu scribunt, αν, modo cum accentu, ἄν. Idem faciunt in praepositione κάτ, quae integra est κατά. Sine dubio accentus recte notatur, et semper notandus erat, itidem vt notari solet in

 praepo-

praepositione πάρ, quae per apocopen fit ex παρά. Magis etiam in eo peccant, quod has praepositiones duas apocopen passas, ἄν, et κάτ, appositas nomini, sic scribunt, quasi cum eo essent compositae. Ἀμβωμοῖσι. *Il.* 8, 441. ἀμπεδίον. 5, 87. ἀμπύργους. 18, 278. ἀμφόνον, ἀννέκυας. 10, 298. Καγγόνυ. 20, 458. κακκεφαλήν. 16, 412. καλλαπάρην. 14, 447. καμμέσσον. 11, 172. καππεδίον. 11, 167. καπφάλαρα. 16, 106. καῤῥόον. 12, 33. Debebat scribi, ἂμ βωμοῖσι ètc. κὰγ γόνυ etc. Est enim haec appositarum nomini et compositarum cum eo praepositionum differentia, vt appositae accentum retineant, compositae amittant. Sic etiam praepositio Dorica πότ, amputata ex ποτί, articulo apposita, male scribitur coniunctim sine accentu. (Antiquum est, προτί: lingua Dorica ex eo fecit ποτί; communis, πρός. Homerus qui has omnes formas adhibet, non etiam adhibet amputatam. Dores autem eam adhibent ante articulum praepositiuum; nonnunquam etiam ante pronomen demonstratiuum οὗτος [20].) ποττᾶς ἀρετᾶς. (πρὸς τῆς ἀρετῆς.) Decret. Spart. c. Timoth. ποττὼς Ἀργείως. (πρὸς τοὺς Ἀργείους.) Foed. Laced. apud Thucyd. 5, 77. ποττὰν μάδδαν. (πρὸς τὴν μᾶζαν.) Aristophanes *Acharn.* 731. ex persona Megarensis.

20) Vt in κοττούτοισι, quod ex Epicharmo ap. Athen. p. 286. F. affert Maittar. Gr. L. Diall. p. 253. Geminum est καττοῦτο, et καττaῦτα. Idem dorice fit ante relatiuum αὐτός; vt in καττωὖτό. Vid. Koen. ad Gregor. p. 108. *W.*

renfis. ποττῶ Διός. (πρὸς τοῦ Διός.) Theocr. 5, 74. Ad quem locum iam Caſaubonus monuit, Euſtathium p. 828, 31. et iterum p. 1106, 28. legere πὸτ τῶ, diuiſim, praepoſitione accentum grauem habente. — Neque vero quum pro ἂν, ob litteram labialem ſequentem ſcribitur ἂμ, ea cauſſa eſſe poteſt, quare tanquam in compoſitione debeat accentus intercidere. Nam omnia omnino vocabula, in litteram ν deſinentia, etiam quae compoſita non eſſent, ita olim pronuntiabantur, vt ν verteretur ante litteras labiales in μ, ante palatinas in γ. Docent hoc Inſcriptiones: vt Marmor Burmannianum laudatum a Koenio ad Gregorium *de Dialectis* p. 83. ὑπάρχειν δὲ τῷ δικαστᾷ καὶ προξενίαμ παρὰ τᾷ πόλει, καὶ ἔφοδον ἐπὶ τὰμ βόλλαν καὶ (τὸν) δᾶμομ μετὰ τὸγ χρηματισμὸν τὸμ περὶ τῶν ἱρῶν. (βόλλαν, βουλήν, et δᾶμον, δῆμον, lingua Dorica.) Sed Grammaticorum auctoritate puto factum eſſe, vt ea ſcribendi ratio paullatim relinqueretur, et in Lapidibus, et maxime in libris. Quare miror, cur obtinuerit vetus conſuetudo in hac ſola praepoſitione ἄν. Quod enim fit in praepoſitione κάτ, vbi eam ſequitur dictio a conſonante incipiens, quam conſonantem praecedere non poſſit littera τ, vt ibi haec littera mutetur aut in eandem illam conſonantem quae ſequitur, aut in aliam tenuem illi cognatam: eius rei longe alia ratio eſt. Nec enim praeter hanc vnam praepoſitionem amputatam, extra Doriſmum quidem, alia vlla in eam litteram dictio exit, eiusque litterae mutationes etiam longe plus varietatis admittunt.

In Homeri editione Romana cum Eustathii commentariis video alteram praepositionem κάτ, accentu fere semper insigniri; alteram autem ἄν, sine accentu scribi saepius quam cum accentu. Etiam in ipsis commentariis non semper eadem scriptura est. Vt p. 805, 59. ἀμφόνον, ἀννέκυας. At p. 1142, 59. ἂν πύργους, ἂν βωμοῖσι. Porro vbi hae duae praepositiones, ἄν, et κάτ, non sunt appositae nomini, sed cum verbo compositae, a quo auulsas eas, locatasque principio constructionis, proxima sequitur particula δέ: (raro apud Homerum post eas infertur μέν, *Il.* 23, 887. *Od.* 20, 2.) ibi aeque ambigua ratio eorum fuit, qui Homeri editionem Romanam correxerunt. Ἄν, plerumque sine accentu exhibent, praeterquam in libro Iliadis 23, vbi eius maxime frequens est vsus. Κάτ, fere semper cum accentu; sine accentu autem in libris 5 prioribus Iliadis. Ego puto harum praepositionum amputatarum et integrarum vnam eandemque rationem esse. Atqui regula est, quae in omnibus integris praepositionibus accentu non vacuis obseruatur, vt reuulsae a verbo accentum suum recipiant, ne cum ea dictione quam ex intercedentibus proximam habent, compositae videantur. κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα. *Il.* 1, 40. Videlicet, κατέκηα πίονα μηρία, non, ἔκηα καταπίονα μηρία.

f) Particula interrogatiua μή, siue illa recte, seu oblique interroget. Μή σε κατακωλύω, ὦ Ἰσχόμαχε, ἀπιέναι ἤδη βουλόμενον; Xenophon *Oec.* 12, 1. Καὶ ἐρωτῆσαι, μὴ ῥιγοῖ. Theophrastus *de Adulatore.*

Nisi

Nisi enim exprimitur vehementius, non differt pronuntiatione a particula prohibitiua μή. Quare, vt Deuarius annotauit, librarii veteres particulam istam, si eam nulla sequitur alia enclitica, duplici graui accentu signare solent: idque ipse fieri ait ad indicandam vim pronuntiationis, quae arguat significationem ab ea diuersam, qua pro ἵνα μὴ accipitur.

VI. *Non scribi tenorem grauem, nisi loco depositi acuti.*

Dictiones paucae quaedam sunt, eaeque monosyllabae, quae sine accentu scribuntur. Nempe articulus praepositiuus masculinus et femininus, casu recto, numeri singularis et pluralis, ὁ, ἡ, οἱ, αἱ: praepositiones tres, εἰς, ἐξ, ἐν: duo aduerbia, οὐ et ὡς: vna denique coniunctio, εἰ. Scribuntur autem sine accentu, non quasi nullum habeant: nam quaecunque syllaba non aut acuto erigitur, aut flexo circumducitur, eam grauis deprimit: sed quod nunquam omnino grauis accentus notatur, praeterquam in iis dictionibus, quae per se acutae, propter continuam et aequabilem pronuntiationem acutum deposuerunt. Omnis igitur dictio quae in constructione habet notam grauis, acuta est per se, nec debet extra constructionem aliter nisi cum acuto scribi. Quare quae dictiones in constructione aut nunquam, aut rarissime acuuntur, propterea quod aut semper debent primo loco, aut raro et in quibusdam formulis tantum solent vltimo collocari, (vt casus

ſus quidam vtriusque articuli, et praepoſitiui et poſtpoſitiui; vt praepoſitiones monoſyllabae, πρό, πρός, et σύν, ceteraeque diſyllabae omnes; vt aduerbia, οὐχί, μή, ναί, νή, μά, πρίν, χθές, μεταξύ, et alia plurima; vt coniunctiones, καί, ἤ, γάρ, μέν, δέ, ἀλλά, et paucae aliae:) qui eas dictiones etiam extra conſtructionem cum graui ſcribunt, quae communis eſt omnium conſuetudo, ii videntur mihi ab artis regula declinare. Scio quidem Theodorum Gazam in ſuis Inſtitutionibus Grammaticis etiam docere, plerasque has particulas eſſe graues per ſe ipſas: nempe articulum praepoſitiuum in caſibus rectis et accuſatiuis, item praepoſitiones omnes, et quasdam coniunctiones: harum indicat nominatim vnam tantum, ἀλλά. (l. 3. p. 157. 160. 162. ed. Ven. 1756.) Sed primum ille de articulo, de monoſyllabis praepoſitionibus, de coniunctionibus ceteris, nullam edit rationem; et parum probat de praepoſitionibus diſyllabis et de coniunctione ἀλλά, vt inferius patebit. Deinde nos contrarium vincimus eo argumento, quod toti ſcribendorum accentuum rationi maxime conſentaneum eſt, quod grauis accentus nunquam ſcribitur in ſyllaba per ſe graui, ſed in ea quae pronuntiationis lege depoſito acuto facta eſt grauis. Itaque etiam veteres Grammatici easdem illas particulas pro acutis habuerunt. Apollonius Alexandrinus, quem alias ipſe Gaza ſolet auctorem ſequi, vt oſtenderet particulam ὦ aduerbium eſſe, non caſum articuli vocatiuum, inter argumenta cetera hoc afſert, (*de Synt.* 1, 21. p. 57, 12.) quod quum ea particula

ticula recipere tenorem acutum possit, minime tamen casibus articuli nominatiuis eundem tenorem habeat. Intelligit hos casus forma plena et perfecta, quae in duali numero in omnibus tribus generibus, in plurali autem in genere duntaxat neutro seruata est ab omnibus Graecis, a Doriensibus etiam in masculino et feminino: τός, τή, τόν. τώ, τά, τώ. τοί, ταί, τά. Ergo Apollonius tribuit acutum his particulis, non grauem. Iam praepositiones et monosyllabas et disyllabas omnes acutas esse, idem Apollonius vt rem notam et certam sumit ad aliud quiddam arguendum. (4, 2. p. 303, 30.[21]) Nullus a me notatus est locus de coniunctione ἀλλά: sed omnino quoties a Grammaticis vocabulum superans vnam syllabam, graue dicitur, semper illi significant aut paroxytonon, aut proparoxytonon, aut properispomenon, aut etiam oxytonon, quod sit deprimendum in appositione, verso in grauem acuto; nunquam eius generis vocabulum, quod per se meris grauibus syllabis constet.

Dixi modo, Apollonium omnes praepositiones dicere acutas. Debuit excipere tres, εἰς, ἐξ, ἐν: sed non excepit. Immo ibidem loci postquam dixerat, praepositiones eo quod proprium acutum haberent, vbi producerentur, etiam attrahere acutum in vltimam syllabam, exempla subiiciens, tales ait esse praepositiones ἐνί, et προτί. (304, 5.) Ergo si ἐνί,

21) Fit hoc idem ab Apollonio in iis, quae habet de adverbio, εἰς ὅ, IV, 10. p. 327. W.

si ἐνί, sicut πρoτί, acutum in vltimam syllabam attrahit: sequitur, acui iam ante productionem, vt πρός, ita ἔν. Bis iam in mentem venit mihi dubitare, annon decem istae particulae ἄτονοι, quarum enumeratio facta est, ipsae quoque olim et fuerint, et a Grammaticis habitae sint acutae: semel ad locum illum Apollonii, paullo ante laudatum, vbi casibus rectis articuli praepositiui acutus tribuitur; iterum ad loca duo Aristotelis, quae in alium vsum infra proponam, vbi acutus tribuitur particulae οὔ, quanquam appositae verbo, et ἀποφατικῶς, non ἀρνητικῶς vsurpatae. Augebat hanc dubitationem, quod nihil me apud veteres Grammaticos de vlla dictione accentu vacua legisse memineram. Sed quum inde a Theodoro Gaza omnes Grammatici aliud consensu tradant, studui conuenienter ad eorum doctrinam interpretari, quae istis locis Apollonius et Aristoteles dicerent. Verum hic alter locus Apollonianus, qui omnes praepositiones, et nominatim ἐν, acui ostendit, explicatu mihi difficilis est.

VII. *An dictio acuta recte grauetur ante comma.*

Quum dictio acuta non grauetur in fine periodi aut membri, quia pronuntiationis cursus ibi definit aut intersistit: quae tandem caussa est, cur illa soleat grauari ante commaticam distinctionem? Loquor de commatibus iis, quibus pronuntiatio sola regitur; non de iis, quae plerique hodie solent in libris Graecis et Latinis edendis nimium crebra ponere,

vt

vt imperitioribus conſtruendi negotium facilius reddant. Quam conſuetudinem ego hactenus probare non poſſum, quod non debebat hoc pronuntiationis regendae ſignum diuerſo vſu adhiberi, ne fieret incertum. Ea igitur quae intelligi volo commata, ſunt interualla temporis minima illa quidem, ſed tamen interualla, quibus membrorum articuli diſtinguuntur. Demoſthenes *in oratione de corona* pag. 249. *καὶ μὴν τὴν εἰρήνην γ' ἐκεῖνος ἔλυσε τὰ πλοῖα λαβών, οὐχ ἡ πόλις, Αἰσχίνη.* p. 252. *τὰ κάλλιστα, ἔπαινοι, δόξαι, τιμαί, στέφανοι, χάριτες.* p. 264. *ὁ μὲν λογισμός, εὐθυνῶν καὶ τῶν ἐξετασάντων προσδεῖται· ἡ δὲ δωρεά, χάριτος καὶ ἐπαίνου δικαία τυγχάνειν ἐστί.* In his exemplis non eſt obſcurum, ibi vbi diſtinctio commatica eſt, pronuntiationis curſum tanquam aliqua interpoſita mora, paulliſper inhibendum eſſe. Itaque pronuntiabimus acuta vltima ſyllaba et *λαβών*, et *τιμαί*, et *λογισμός*, et *δωρεά*. Quid ergo eſt, quod non vt pronuntiamus, ita etiam ſcribere ſolemus? Non vſurpaui codices veteres manuſcriptos: ſed tamen puto illos nobis hunc morem ita ſcribendi praeiuiſſe. In quo haud ſcio an melius fuerit eorum contemnere auctoritatem. Nam praeſtat, ſcripturam a pronuntiatione diuerſam non eſſe. Credibilius eſt autem, librariorum culpa vitioſam ſcribendi rationem obtinuiſſe, quam veteres in pronuntiando legem accentus neceſſariam violaſſe.

VIII. *Vtrum*

VIII. *Vtrum acui an grauari debeat nomen τὶς interrogatiuum.*

Interrogatiuum nomen τίς, quod solum in oratione acui solet, annon ipsum quoque potius grauandum est? Aldus, qui codices manuscriptos adeo religiose typis expressit, vt initio quidem etiam omnia scribendi compendia et eorum cuiusque varietates imitaretur, nusquam in Hortis Adonidis, qui liber est eius primorum vnus, τί, et διατί, cum acuto, sed vbique τὶ et διατὶ cum graui exhibet. Porro ex ipsis recentioribus Graecis nonnulli, qui doctrina et iudicio excellunt, in libris quos aut a se, aut ab aliis vetere lingua scriptos ediderunt, hanc eandem rationem quam Aldus tenuit, sine dubio consuetudinem veterem secuti, vsurpant *). Nec reperio caussam, quare de regula quae tenorem acutum in continuatione sopiri iubet, nomen τὶς interrogatiuum eximatur. Non enim haec potest caussa esse, nequis infinitum pro interrogatiuo accipiat. Quanquam enim etiam ipsum infinitum ob tenoris deuolutionem grauatur: εἰ δὲ θεὸν ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λασέμεν ἔρδων: at interrogatiuum natura sua primo construi loco solitum, grauabitur ob tenorem amissum concursu insequentis vocabuli, nisi si tenorem ab hoc deuolutum susceperit. τὶς γῆ, τὶς δῆμος.* τί μοι ὧδ' ἐπέχεις. Itaque ad arguendum infiniti et interrogatiui discrimen, sola satis est vtriusque diuersa constructio. An vt pronuntiando impellamus tenorem interrogatiui? Non possunt caussam hanc dicere, qui ex ceteris omnibus dictionibus iis,

iis, quas tenore validius impulso pronuntiare oportet, nullam tamen acuere in scriptura solent. Nec videtur interrogatiui nominis tenor vnquam esse impellendus, nisi quum aut affectu moti loquimur, aut necessariae distinctionis caussa volumus id ipsum nomen praeter ceteras orationis partes maxime aduerti. Quod vbi contingit, solent addi nonnunquam particulae inclinabiles. τίς νύ μοι ἡμέρη ἧδε. τίς ποτ' ἐστὶν οὑτοσί. Deinde omnium Grammaticorum veterum haec obseruatio est, quarum dictionum significatio sit duplex, et infinita et interrogatiua, eas omnes et infinita significatione acui, et interrogatiua grauari. Neque obseruationem hanc tollunt aut restringunt monosyllabae circumflexae, vt πῶς, quibus iisdem vtimur et vt infinitis, et vt interrogatiuis. Circumflexus enim ex acuto et graui compositus, eandem syllabam et attollit, et rursus deprimit. Habent igitur monosyllabae circumflexae inclusum et acutum, et grauem: quorum alterius potestate fit, vt infinitarum constructionem admittant; alterius, vt interrogatiuarum. Iam si acuendum esset interrogatiuum nomen τίς, quum in oratione post id alia dictio quaecunque sequitur: profecto, quae Grammaticorum veterum diligentia fuit, non commisissent, vt quod vnum de regula excipiendum erat, id non exciperent, praesertim quum eius tam frequens vsus esset. Quod enim Apollonius Alexandrinus 4, 2. 304, 25. scribit **), non omnes interrogatiuas dictiones grauari: potuit hoc propter monosyllabas circumflexas dicere. Nam circumflexae dictiones, vt monuimus, possunt illae

quidem grauibus computari, ſed a Grammaticis in acutarum numero haberi ſolent. Atque vt ille hoc dixerit ob interrogatiuum pronomen τις, quod vtique per ſe acuitur: non tamen dixit, illud etiam in contextu poſitum acui. Ergo hanc videntur Grammatici habuiſſe cauſſam, quare non exciperent pronomen τις, quod quum id in oratione aliis dictionibus antecedat, ſi hae inclinabiles fuerint, ab his tenorem habet; ſi non inclinabiles, propter harum continuam pronuntiationem grauatur.

Atque huius grauationis vſum etiam locus Apollonii 2, 18. 139, 20. ſatis arguit. Poſtquam dixerat, nomina et aduerbia quae ſint et infinita et interrogatiua, quum infinita ſint, acui, quum interrogatiua, grauari, haec infert, Καὶ ἔνθεν δείκνυται, ὅτι τὸ τις ἀοριστούμενον, μᾶλλον ὀξύτονόν ἐστι· πευστικὸν δὲ καθεστὼς, τῷ λόγῳ τῆς ἀρχούσης βαρύνεται. Forſitan aliquis Apollonium dicat loqui de nomine τις per caſus inflexo, in quibus diſyllabum factum, ſi infinitum eſt, acuitur; ſi interrogatiuum, grauatur. ἀνθρώπου τινός. τίνος ἀνθρώπου. At non video, quid opus fuerit Apollonium dicere, τινός, acui; τίνος, grauari. Non enim vult oſtendere, cur alterum horum grauetur, alterum acuatur. Nam in omnibus vocabulis quae ſenſu et infinito et interrogatiuo vſurpari queant, idem fieri, vt altero ſenſu acuantur, altero grauentur, ipſe iam dixit, et pro regula poſuit. Negabant puto alii, verum illud eſſe, interrogatiua omnia grauari, propterea quod nomen τις interrogatiuum

gatiuum acueretur. His ergo ita occurrit, vt etiam id ipſum nomen per ſe acutum, in orationis continuo curſu tamen grauari dicat, vtpote quod natura ſua primo conſtruatur loco, ſitque λέξις ἡ ἄρχουσα. Quod ſi caſus diſyllabos nominis τις intelligi voluiſſet Apollonius, tum, opinor, et hoc addidiſſet inter verba τὸ τις et ἀοριστούμενον, vt diceret, γενόμενον κατὰ τὴν κλίσιν δισυλλαβῆσαν, et aut omiſiſſet illa verba, τῷ λόγῳ τῆς ἀρχούσης, aut certe addidiſſet ὀξυνομένης, vel potius aliter omnino eſſet locutus. Quid enim eſt, *ob rationem primae ſyllabae*, niſi addas, *tenorem habentis*? Num id poterat vltro ſubintelligi? Sed nec τῷ λόγῳ dixiſſet, verum ſimpliciter, ὀξυνομένης τῆς ἀρχούσης, vel, μετατιθεμένης τῆς τάσεως κατὰ τὴν ἄρχουσαν. Vbi enim rei ratio aliunde petitur, non ex ea ipſa re, ibi non dicitur λόγος. Λόγος eſt eius ipſius rei, quae qualis eſſet, quaerebatur. Atqui ſi quaeris, cur τίνος grauet vltimam ſyllabam, qui reſpondet, ob tenorem ſyllabae primae, is cauſſae quidem ſatis dixit: non enim vnum et idem vocabulum per ſe duos tenores habet: ſed non dixit λόγον, h. e. non ex ipſius vltimae ſyllabae ratione demonſtrauit, quare illa grauaretur. Ergo patet, Apollonii ſententiam eam eſſe quam diximus, nomen τις interrogatiuum vt praeiens aliis dictionibus grauari, propter orationis continuationem.

Sed et cetera quae attulimus argumenta, per ſe minus grauia ſunt, et locus hic Apollonii vereor ne vitio ſit corruptus. Nam etſi nec varians lectio

vlla e codicibus notata eſt, neque aut Sophianus, aut Dudithius, aut Portus, aut Sylburgius locum ſuſpectum habuerunt: mihi tamen videri coepit vitioſus eſſe, comparanti locum alium Ioannis Characis Grammatici, cuius adhuc praeter Apollonium vnius a me reperta eſt de accentu nominis τὶς interrogatiui praeceptio. Etenim Charax in libello περὶ τῶν ἐγκλινομένων ***), edito illo in Hortis Adonidis, ita ſcribit p. 227. a. extr. Καὶ τὸ τὶς τῷ λόγῳ τῆς ἀρχούσης ἔχει τὴν ὀξεῖαν. ὅθεν οὐ κοιμίζεται ἐν τῇ συνεχείᾳ. τίς ἦλθε. Plane contrarius eſt hic locus Apolloniano. Id primum intelligitur, verba haec, τῷ λόγῳ τῆς ἀρχούσης, a Charace itidem ſic vſurpari, vt ea oſtendimus ab Apollonio vſurpata eſſe. Non ſyllabam dictionis primam intelligit, verum dictionem primam ordine conſtructionis. Deinde autem perſpicue docet, interrogatiuum nomen τὶς, ideo quod in conſtructione praeeat, acui; non, vt nos putabamus, et vt Apollonii verborum ſententia eſt, grauari. Non ſatis video, vt ex principatu quem illud in conſtruendo tenet, ipſius acuendi neceſſitas exiſtat: ſed conſuetudo linguae potuit hanc neceſſitatem inducere. Aut igitur Charax Apollonio aetate recentior, ſi tum alia erat vulgi conſuetudo, eam ſecutus eſt: aut inter ipſos veteres Grammaticos hac in re diſſenſus fuit: aut denique alterius vtrius Grammatici locus eſt deprauatus. At omnino Grammatici ſolam veterum optimorum ſcriptorum et maxime poetarum conſuetudinem et linguam ſpectauerunt: neque Charax non eandem propoſitam habuit, vt ex toto fragmento patet.

Porro

Porro verisimile non est, in tali re dissensum inter veteres Grammaticos intercedere potuisse: neque videtur silentio eum praeteriturus fuisse Charax, qui alias diligenter notet diuersam aliorum sententiam, Ita memorat p. 226. *b.* accuratiores Grammaticos et Aristarchum nolle duos continuos acutos in vno vocabulo, solitis aliis vocabulum positione trochaicum, h. e. paroxytonon quantitate pedis trochaici, acuere inclinabili sequente, vt, *ἄνδρά μοι.* Sic idem alibi (p. 227. *a.*) reprehendit Romanum; alibi (*ib.*) Philoponum, qui Romani discipulus fuit; alibi denique (p. 227. *b.*) Telephum. Ergo aut Apollonius e Charace, aut hic ex illo est corrigendus. Non ex Apollonio Charax: nam recte apud Characem legi, *ὀξύνεται,* vincunt ea verba quae continuo addit, *ὅθεν οὐ κοιμίζεται ἐν τῇ συνεχείᾳ.* Quae verba nisi omnia eiicias, id quod vehementer est durum, ineptissima erit correctio, si legas, *βαρύνεται.* Debet igitur e Charace Apollonius corrigi, et facillime potest, nullis impedientibus nos eius verbis, quo minus pro *βαρύνεται* scribamus *ὀξύνεται.* Mihi quidem veram hanc esse loci Apolloniani correctionem etiam illud persuadet, quod non simpliciter dixit esse *ὀξύτονον* sed *μᾶλλον ὀξύτονον τὸ τὶς ἀοριστούμενον.* Si enim oppositio sit inter vocabulum acutum et graue, quid opus erat acutum dicere magis acutum? At si oppositio sit inter duo acuta, id quod per se acutum est, et manet acutum etiam disyllabum factum, dici potest magis acutum eo, quod acuitur duntaxat quamdiu monosyllabum est, et acuitur non quod interrogatiua proprium hunc tenorem habeant, sed

 quia

quia et vt interrogatiuum natura ſua primo loco poſitum, debet aliquam tenoris eleuationem habere, nec vt monoſyllabum et habens vocalem breuem, alio quam ſimplici accentu eleuari poteſt.

Obiiciat aliquis, ita locutum eſſe Ariſtotelem *de Soph. El.* c. 4. §. 8. et c. 21. §. 2. vt *ὀξύτερον* diceret, modo comparatiuo, vbi ſatis fuiſſet poſitivus. Prior locus hic eſt, *οἷον καὶ τὸν Ὅμηρον ἔνιοι διορθοῦνται πρὸς τοὺς ἐλέγχοντας, ὡς ἀτόπως εἰρηκότα, τὸ μὲν οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ.* (*Il.* 23, 328.) *λύουσι γὰρ αὐτὸ τῇ προσῳδίᾳ. λέγοντες τὸ οὐ, ὀξύτερον.* Poſterior locus, *ὡς δὲ λυτέον, δῆλον. οὐ γὰρ ταὐτὰ σημαίνει, τὸ μὲν, (οὐ καταλύεις,) ὀξύτερον. τὸ δὲ, (οὗ καταλύεις,) βαρύτερον ῥηθέν.* Vtimur ſane vulgo comparatiuis pro abſolutis. Verum qui talia comparatiua primi vſurparunt, ii vtique comparationem fecerunt, ſed rem comparatam ſubintellexerunt: deinde conſuetudo retinuit formam, oblita eſt rei comparatae. Mihi quidem videtur etiam in iſto Ariſtotelis exemplo modus comparatiuus proprie adhibitus eſſe. Nam *οὐ*, exiliter adſpiratum, quum eſt *ἀποφατικόν*, etiam *ἄτονον* eſt; quum *ἀρνητικόν*, acuitur. (*ἀποφατικόν*, et *ἀρνητικόν*, fere ſimiliter inter ſe differunt, vt in lingua noſtra patria, *nicht*, et *nein.*) *οὗ* autem, cum ſpiritu denſo, circumflectitur, i. e. partim attollitur, partim deprimitur, ideoque habet coniunctum et acutum et grauem. Ergo *οὔ*, cum acuto, eſt *ὀξύτερον* quam *οὗ*, cum circumflexo, quia ſyllaba circumflexa eadem et ſurgit, et cadit: *οὗ* autem,

tem, cum circumflexo, βαρύτερον est quam οὐ, cum accentu ſyllabico tantum, quia grauis in quem deſinit circumflexus, magis quam ſyllabicus auditur.

Si exſtaret, quod Suidas commemorat, Apollonii ſcriptum περὶ τοῦ τίς, non dubito quin ex eo peti poſſet longe certius et liquidius argumentum.

ANNOTATIONES.

Ad pag. 11.

*) *Retinui veterem lectionem, εἰς, quam Reiskius mutauit, legens ὡς. Ita Isaeus* de Apollodori heredit. *p. 169.* ἐλθὼν εἰς τὴν ἐμὴν μητέρα. *Sed etiam hoc in loco Reiskius eandem correctionem adhibuit. Non occurrunt sane mihi apud Atticos prosaicos plura exempla similia, vbi praepositio εἰς cum verbo* ire, *aut* venire, *aut* mittere, *aut* ducere, *adhibeatur in re animata, et numero vna, et quae non ex pluribus indiuiduis collecta sit: nam in multitudine quidem rerum animatarum, alia est ratio.* παρελθεῖν εἰς τοὺς δικαστάς, εἰς τὸν δῆμον. *Sed tamen Homerus, et saepissime, ita locutus est. Vt* Il. *15, 402. 17, 709.* Od. *14, 127. 20, 372. 22, 202. et aliis pluribus locis. Estque apud Homerum* ἐλθεῖν εἴς τινα, *idem quod* ἐλθεῖν εἴς τινος, *omisso per ellipsin vocabulo habitati loci,* κλισίην, οἶκον, μέγαρον. *Quam ellipticam formulam non Homerus tantum, sed etiam Attici vsurparunt. Neque idem est,* ἐλθεῖν πρός τινα, *vel Attice,* ὥς τινα. *Sic enim aliquis ad alterum venisse intelligitur, vbicunque potestatem eius conueniendi habuerit, etiam foris. Atqui apud Lysiam Euphiletus reus vult dicere, se venisse ad amicos domum ipsorum: nam continuo sic pergit,* καὶ τοὺς μὲν ἔνδον κατέλαβον, τοὺς δὲ οὐκ ἐπιδημοῦντας εὗρον. *Igitur siquid mutandum esse videretur, sic potius*

potius mutarem, καὶ ἀφικνοῦμαι εἰς τῶν καὶ τῶν, *vel rectius*, εἰς τοῦ καὶ τοῦ [1]).

Ad pag. 11.

**) *Vitiose, ut puto, legebatur*, ἔνια. *Subintelligitur enim etiam hic ex superioribus*, τούτων τι. *Si vera esset lectio*, ἔνια, *tum orator diceret, eosdem qui vel dixissent, vel audiissent, vel alios facere vidissent*

D 5

1) Nihil sane mutandum. Plures loci Atticorum vi cogendi in ordinem essent, priusquam formula ista, a Reiskio proscripta, exsularet. Nam vt Comicum omittam, Lysias etiam Orat. de Aristoph. bonis p. 626. habet εἰσελθὼν εἰς τὸν πατέρα τὸν ἐμόν. Etsi ibi quoque Reisk. dedit ὡς, quem et Auger. sequitur et Alter VV. CC. hoc quidem loco ad codicum fidem, quum Orat. I. p. 27. libri nihil mutare videantur. Recte, opinor. In vtroque loco actor ad eos, quos dicit, venisse se ait domum ipsorum: quod discrimen accurate Reizius notauit. Et iampridem Valcken. ad Herodot. pag. 299. nihil se dubitare scripsit de forma, ἐλθεῖν aut εἰσελθεῖν εἴς τινα; non meminisse tamen, an legatur item ἀφικέσθαι εἴς τινα. Itaque huius ipsius Lysiaci loci, qui nunc tractatur, ille tum immemor erat, vt et simillimi ap. Aelian. V. H. XII, 1. vbi εἰς Ἀσπασίαν ἀφίκετο a Perizon. sic mutatum est, εἰς Ἀσπασίας ἀφ., an vere, ambigam, quamuis codices auctores narret. Nec enim ibi sermo est de *domicilio*, sed de *cubiculo*; cuiusmodi exempla mihi nulla in promptu sunt. De aliis huius formae, ἐλθεῖν εἴς τινα, vide Koen. ad Gregor. Cor. p. 19. et ab eo laudd. et ex scriptoribus, non Atticis, adde Apollod. Bibl. II, 4, 3. quod leuiter tractat Abresch. Animadu. ad Aeschyl. p. 235. *W.*

sent aliquid eorum quae dixisset, nonnulla ex iis etiam ipsos factitare. Cur ergo non dixit, ἔνια δὲ αὐτῶν καὶ αὐτοὶ τυγχάνουσιν ἐπιτηδεύοντες, *praesertim quum eius oratio, si cuiusquam alius, verbis plena esse soleat? Sed parum hoc est. Potuisti aliquid et dicere, et audire, et alios facere videre, quod ipse facere non institueris: et rursus instituere aliquid facere, quod ipse nec dixeris, nec audieris, nec alios facere animadverteris. Quatuor igitur sunt membra, non tria. Nec debet quisquam vereri, ne non recte dicatur,* ἔνιοι δέ, *pro* οἱ δέ. *Immo tum in partiendo, tum in opponendo, solet interdum articulus variari nominibus* ἔνιοι, τινές, ἕτεροι, ἄλλοι, *etc. Demosthenes* Olynth. *3. p. 36.* ὧν οἱ μὲν ἐκ πτωχῶν πλούσιοι γεγόνασιν, οἱ δ' ἐξ ἀδόξων ἔντιμοι, ἔνιοι δὲ τὰς ἰδίας οἰκίας τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων σεμνοτέρας εἰσὶ κατεσκευασμένοι. *Cf. Aeschinem* c. Tim. *p. 183.*

Ad pag. 12.

***) *Drakenborchius ad Thomam, in* ἃ μέν, ἃ δέ, *p. 2. memorat quasi vsitatam formulam,* οὗτος μέν, οὗτος δέ. *Vt exemplo eam probet, laudat principium orationis primae Antiphonteae. Sed neque ibi, neque omnino apud Antiphontem, neque, vt puto, apud alium quenquam tritum et probatum scriptorem, eius exemplum formulae inuenias. In loco Antiphontis legitur alia formula, ea quam diximus,* τοῦτο μέν, τοῦτο δέ. *Non sequitur, si hoc modo locuti sunt, etiam altero locutos esse. In formulis vnus maxime spectandus est linguae vsus; qui nulla similitudinis regula continetur. Denique aliud est, ratiocinari, quomodo loqui*

loqui potuerint; aliud, exemplis ostendere, quomodo locuti sint.

Ad pag. 34.

*) *Agesilaum non a Xenophonte, sed a Sophista quodam sub Xenophontis nomine conscriptum ait Valkenarius*, Diatr. in Eurip. Fragm. *c. 24. p. 266. colligens id ex eo, quod Xenophon* Hellen. *l. 5. p. 333 sq. edit. Hutchins. et alibi narret Agesilai peccata et hominis et imperatoris: in hoc autem libello c. 10. §. 4. Agesilaus dicatur* ἀναμάρτητος τελευτῆσαι. *Hoc non simpliciter ibi dicitur, sed cum adiunctione*, καὶ περὶ τούτους ὧν ἡγεῖτο, καὶ πρὸς ἐκείνους οἷς ἐπολέμει. *Peccauit Agesilaus multa, sed nihil neque in suos ciues aut milites, neque in hostes* [2]).

Ad pag. 48.

*) *Vnum laudare satis est EVGENIVM BVLGARIN, decus et lumen Graeciae, a quo sunt maxime commota et plurimum adiuta popularium suorum philosophiam et mathesin aemulantium studia: qui antequam ab Augusta Russorum accitus Petropolin abiit, complures annos Lipsiae agens, praeter alia edidit*

2) Nescio an nihil aliud hic egerit Reizius, quam vt vnum quoddam Valckenariani iudicii momentum eleuaret. Nam alia sunt, eaque haud paullo maiora, quae dubiam faciant istius libri auctoritatem. Et quae nuper in singulari libello scripsit *Kühnius* V. C. vt Agesilaum Xenophonti redderet, sunt quidem bona partim et ingeniosa, sed minus valida ad persuadendum. *W.*

edidit Logicam, *e veteribus ac recentioribus collectam,* et Elementa Mathematica, *hausta e doctrina Segneriana: quorum librorum in vtroque munditia et elegantia nitet orationis Graecae; in illo altero etiam eloquentiae manat beatissima copia.*

Ad pag. 49.

**) *Locum istum Apollonii Franciscus Portus interpres male intellexit. Graeca verba haec sunt:* οὐδὲ πάντα τὰ πύσματα βαρεία ἐπιτάσει. ἀλλ' οὐδὲ ἄλλα πλεῖστα ἐξωμάλισται. *Vertit Portus:* neque omnia nomina interrogatiua, aliaque plurima, graui tenore aequabiliter pronuntiantur. *Atqui Apollonius haec dicit:* neque omnia nomina interrogatiua graui tenore pronuntiantur. Immo nec alia plurima aequalitatem omnino seruant. *Hoc est, etiam in aliis orationis partibus plurima sunt exempla dictionum, aliquam anomaliam habentium, et analogiae contrariarum. Illud autem,* βαρεία ἐπιτάσει, *dubitari non potest, quin ita legendum sit,* βαρεία ἐστὶ τάσει.

Ad pag. 52.

***) *Fragmentum hoc esse illius commentariorum in Ioannis Philoponi Grammaticam, aliquis colligat ex his eius verbis p. 227. a.* οὐχ ὡς λέγει ὁ Φιλόπονος ἐν ἀντωνυμίᾳ, ὃν ἐλέγχομεν ἐκεῖ [3]. — *Dixi ab Aldo in*

3). Fragmentum diligentius consideranti hoc potius patebit, disputari a Charace aduersus Philoponum, vt saepe in libris *de Syntaxi* Apollonius Alex. aduersus Zenodotum

in Hortis nomen τὶς *interrogatiuum ſemper notari ſigno grauis tenoris: id adeo conſtanter fecit, vt etiam in iſto ipſo quem ſupra dedimus Characis loco, vbi hic negat eius nominis tenorem acutum in continuatione ſopiri, tamen ſcripſerit contra verborum ſententiam potius quam contra morem ſuum,* τὶς ἦλθε, *cum graui. Sic in aliis quoque locis alias regulas, quae iis ipſis in locis tradebantur, non raro Aldus neglexit. Sed etiam alii Grammaticorum editores, non ſolus Aldus, ita peccarunt. Queritur Sylburgius ad calcem Apollonii, quas* ἐγκλιτικῶν *et* ὀρθοτονουμένων *regulas Apollonius tradat, eas parum obſeruatas eſſe in vulgaribus editionibus: cum quibus etiam ſe nonnunquam alucinatum eſſe. Apollonii Excerpta Voſſiana qui edidit cognominis meus, vt leniter dicam, nihilo accuratior fuit.*

rodotum et alios diſputat. Nec oratio, qualis eſt in hoc fragmento, arguit commentatorem. Et pag. 229. a. pr. idem Charax ſcribit, ὡς δείκνυμεν ἐν τῇ ἀντωνυμίᾳ. Videri ergo poteſt particula eſſe Grammaticae Characis. REIZ. *in marg.*

PARTIS I.

PARTIS I. EPIMETRON.

A. 1782. d. 21. Aug.

Septem abhinc annis aliquid ſcribere ſum orſus de prosodiae Graecae accentus inclinatione, abſoluique primam eius argumenti partem, in qua de tenoris conſopitione ſeu depoſitione agebatur. His proximis diebus prodibit pars altera, de tenoris retractione praecipiens. Tertiam, in qua conſiderabitur deuolutio tenoris, a dictione poſteriore in priorem transmiſſi, quoniam praeter modum ampla eſt, diuiſim per alias occaſiones proponere animus eſt.

Hoc nunc libello, qui a me ſcribendus erat, vt eum in publica disputatione defenderem, ſum complexus ea, quae ad res varias, in illa traditas prima parte, vel corrigendas, vel ſupplendas, vel etiam illuſtrandas, pertinere mihi videbantur.

Pagina 3. quas duas cauſſas attuli, cur ſyllaba vltima tenore acuto in conſtructione amiſſo, nota inſigniretur grauis tenoris, eas quum non ſatis idoneas iudicarem, quaerenti mihi amplius, videbatur eius rei verior cauſſa haec eſſe, quod olim ita ſcribebant, vt omnia vocabula inter ſe nexa cohaererent, nec vllo interuallo poſterius a priore diſtaret. Quum ergo ſemel introducta eſſet conſuetudo ſcribendi accentus, quoniam videbant eam rem etiam ad ſingula vocabula dirimenda opportune inſeruire, ideo in

ſyllaba

ſyllaba vltima quae acutum depoſuiſſet, grauem vtique notandum putauerunt. Itaque hodie, quum in ſcribendo vocabulorum interſtitia fieri ſoleant, accentus grauis omitti ſane poſſet, vt etiam ſpiritus lenis.

Verum alia omnia didici nuper demum ex Porphyrii libello *περὶ προσῳδίας*, quem ineditum antea, praeterito anno publicauit in Diatriba ſua de quibusdam Codicibus Graecis Venetae S. Marci Bibliothecae, (*pag.* 103—118.) Vir celebri apud omnes fama, deque his litteris optime meritus, et indies melius merens, Villoiſonius. Eum libellum fuiſſe partem primam commentariorum a Porphyrio ſcriptorum in Dionyſii Thracis Artem Grammaticam, ex praefatiuncula ſatis clarum eſt: ſed ex eadem illud quoque patet, ab his de prosodia praeceptis, in quae commentatur Porphyrius, non ipſum Dionyſium Thracem orſum eſſe: fuiſſe alium quendam aetate illo poſteriorem, cuius ignoratum fuiſſe nomen videtur, qui ea praecepta in tironum gratiam a ſe addita, primo loco in Dionyſii Arte collocarit. Non igitur, vt Villoiſonius (*pag.* 118. *et alibi*) putat, vbi Porphyrius in eo libello Technici meminit, Dionyſius ab eo intelligitur, ſed is cuius de prosodia praecepta in operis Dionyſiani principio addita legebantur. Et ſcire iam poſſumus, arguente id illa Porphyrii praefatione, omnia veterum Grammaticorum in Dionyſii Artem Scholia, quatenus prosodiam tractant, non in Dionyſii propriam Artem, ſed in hanc eius acceſſionem ab iſto Anonymo factam, Scholia eſſe. Hic Anonymus qui-

cunque

cunque fuit, si, vt mihi placet, a Dionysii Thracis aetate propius quam a Porphyrii abfuit, paullo antiquior aut recentior erit initio epochae Christianae. Is igitur primum, quod ego non putaram vnquam factum esse, vt in omni syllaba non habente acutum aut flexum, grauis poneretur, id antiquos fecisse ait, et ideo hunc ab iis *tonum syllabicum* dictum esse. Nam ita Porphyrius pag. 111. Ἐξηγούμενος . . . διὰ τί ἐλέγετο παρὰ τοῖς ἀρχαίοις συλλαβικὸς τόνος ἡ βαρεῖα, Φησὶν ὅτι ἐπὶ συλλαβῆς τῆς μὴ ἐχούσης τὴν ὀξεῖαν, ἐτίθετο. (Quod non addidit, ἢ τὴν περισπωμένην, ea caussa factum est, quod quum flexus tenor, qui et surgit et rursus cadit, olim etiam ita signaretur, vt ex acuto et graui compositus, Λ, quatenus acuebatur flexa syllaba, ea iam in acutarum numero comprehensa erat; quatenus grauabatur, ea iam signo grauis erat affecta.) Pergit continuo Porphyrius: ἦν γὰρ κανὼν ὁ λέγων, ὅτι πᾶσα συλλαβὴ, χωρὶς τῆς συλλαβῆς τῆς ἐχούσης τὸν κύριον τόνον, τὴν βαρεῖαν ἐπιδέχεται· οἷον, Θὲόδὼρὸς. τὸ Θε, καὶ τὸ δω, καὶ τὸ ρος, βαρεῖαν ἐδέχοντο· τὸ γὰρ ο τὸν κύριον τόνον εἶχε. Tum quare discessum postea sit ab illa veterum consuetudine ponendi grauis tenoris in omni graui syllaba, rationem hanc ab illo afferri ait, ne libri notis et signis oppleti deformarentur. εἶτα τὴν αἰτίαν ἀποδιδοὺς, δι' ἣν οὐ τίθεται νῦν ἐπὶ πάσης τῆς συλλαβῆς ἡ βαρεῖα, Φησίν· ἵνα μὴ καταχαράσσηται τὰ βιβλία, τοῦτο νῦν οὐ γίνεται. Reprehendi a multis Grammaticum ait Porphyrius, quod ineptam rationem afferret. Nam ita, inquiunt, siquis

ſiquis librum nactus eſt praue deſcriptum, non debet eum corrigere, et mendas raſura tollere, ne librum deformem et quodammodo lacerum videat. Porphyrius ipſe monet, ideo illud fieri deſitum eſſe, vt in omni graui ſyllaba notaretur grauis tenor, quod ea res plane ſuperuacanea eſſet. Nam ſicut, inquit, nulli vocali natura longae aut breui ſignum imponitur longitudinis aut breuitatis. ancipitibus autem imponitur, ſcribiturque ἰσχῡρότατος cum ſigno longitudinis, ὀχῠρώτατος cum ſigno breuitatis: ita quum omnem ſyllabam, excepta ea in qua proprius tonus eſt, grauari conſtet, ſignum grauis omiſſum eſt poni ſupra ſyllabas reliquas. Ὁμολογουμένου ὄντος, ὅτι πᾶσα συλλαβὴ [1]) ἄνεσιν ἔχει, καὶ βαρεῖαν ἐπιδέχεται, χωρὶς συλλαβῆς τῆς ἐπιδεχομένης τὸν κύριον τόνον, παρεῖται τοῦτο, τὸ ἐπάνω κεῖσθαι, φησὶ, τὴν βαρεῖαν τῶν λοιπῶν συλλαβῶν. In quibus verbis meo iudicio legendum eſt, φημί, non, φησί. Deinde Anonymus ille addit, non tamen omitti omnino tenorem grauem, ſed poni eum in vltimo acuti loco. Reſtringit Porphyrius hoc ita: Si vocabulum, inquit, in cuius vltima ſyllaba eſt acutus, non etiam ipſum in conſtructione vltimum eſt. Et poſtea hoc iterum his verbis repetit: οὐχ ἁπλῶς τίθεται ἡ βαρεῖα εἰς τὸν τόπον τῆς ὀξείας, ἀλλ' εἰς ἐκεῖνον μόνον τὸν ἐπὶ τῆς ληγούσης εὑρισκόμενον· καὶ ταῦτα ὅταν οὐδὲ ἡ ἔννοια ἀναπαύηται, ἀλλ' ἔστι συνέπεια, ἤτοι μετὰ τὴν ὀξύτονον

1) Hic addendum videtur ἡ, abſorptum a littera vltima prioris vocabuli. REIZ. *in marg.*

νον λέξιν εὑρίσκεται ἡ ἑτέρα λέξις. Nusquam ſane aut ab Anonymo aut a Porphyrio cauſſa redditur, cur ſi vltima ſyllaba tenorem acutum in conſtructione amiſerit, pro eo ſignum grauis imponi ſatius eſſe duxerint, quam propter eius amiſſionem vocabulum omni ſigno carere. Sed animaduertendum eſt, eos et alios veteres Grammaticos loqui de iis libris, quos a cenſore antea correctos, et diſtinctionum atque accentuum ſignis appoſitis notatos, diſcipulum bene legere docebat legendi magiſter: quo facto, ad interpretem ibatur, qui verba, res et ſententias exponebat: vltima erat opera, quam dabant critico, vt ex eius disputationibus virtutes et vitia ſcriptorum cognoſcerent. In talibus igitur libris, quos iam inde ab eo tempore, quo propter linguae vſum latius diffuſum, et mutationes paullatim factas, Grammatica ſtudioſius coli coepta eſt, notatos accentibus et diſtinctionibus accipiebant diſcipuli, nulla nimia diligentia viſa eſt eſſe, quae lectionis facilitatem adiuvaret. Nam interdum etiam doctior aliquis animum ad plura ſimul aduertens, in re vna et altera quamvis nota et facili errat; nedum tiro, cui bene legere diſcenti, animus eſt in multa quae obſeruare debeat, intendendus. Itaque conſultum veteres arbitrabantur, vt animi labor tironi minueretur, oculis eius obiicere ſignum conſopiendi acuti. Videbant enim, ſi omiſſo eo ſigno tironem ipſum ratiocinari oporteret, dictionem grauandam eſſe, aut animum eius hic occupatum aliquid aliud poſſe negligere; aut animo eius alibi occupato, fieri poſſe, vt conſuetudine abreptus dictionem acueret. In ceteris

ris libris, qui non ſcholarum vſui ſeruiebant, accentus appoſitos eſſe initio crediderim [z]) tantum in locis ambiguis et difficilioribus, aut propter eius dialecti qua ſcriptor locutus eſſet, prosodiam peculiarem et a communi diuerſam: vt magis cum tempore mutabatur lingua, ita id largius in veterum libris deſcribendis fieri neceſſe erat: donec mille abhinc annis, quum iam ipſa modulatio accentuum vera periiſſet, eos in omnibus libris vnicuique vocabulo adſcribere coeperunt.

Pagina 7 notare ſum oblitus, articuli ὁ praepoſitiui, a littera τ incipientis, vſum pronominalem etiam Doribus familiarem fuiſſe. Plurima in Pindaro eius rei exempla inuenias. In Choris Tragicis, qui parcius doriſſant, vnum occurrit mihi apud Sophoclem *Philoct.* 155. τὸ γάρ μοι Μαθεῖν, οὐκ ἀποκαίριον. Vox illa matris Lacaenae ad filium nota est, quum ei in bellum eunti ἀσπίδα praeberet:

 ἢ τὰν,

z) In ipſis ſcholis quoque hoc initium rei et progreſſum fuiſſe, veriſimile eſt. Nam lingua adhuc vigente ne tiro quidem in pronunciando, legendo, recitando, de omnibus moneri poſcit. Inuentio autem tonorum et ſpirituum, aliorumque ſignorum grammaticorum, ad Ariſtophanem, Byzantium illum, refertur ab Arcadio, Grammatico, cuius Fragmentum quoddam, περὶ τῆς τῶν τόνων εὑρέσεως καὶ τῶν σχημάτων αὐτῶν, καὶ περὶ χρόνων καὶ πνευμάτων, nuper demum editum eſt a Villoiſonio V. C. in Append. Epiſtolarum Vinar. Eum auctorem prosodiae eſſe iam antea prodiderant aut coniecerant plures: nunc huius libelli auctoritate certius niti licet. *W.*

ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. Plutarchus *Apophth. Lac.* in extremo [3]).

Pagina 13 Henr. Stephanum secutus, nouitatem esse dixi, si formula ὁ μὲν, vel ὁ δὲ, in partitione vel oppositione facienda, post praegressam aliquam

3) Ὁ pro ὅδε seu οὗτος in casibus iis, qui a littera τ incipiunt, a Doribus et dorissantibus Atticis vsurpari, non dubium est. Idem vero an apud puros Atticos fiat, praeterquam illis in modis, quos Reizius supra et hic tam accurate distinxit, iure ambigitur. Neque ad hanc rem satisfacit Stephani disputatio in App. de D. A. p. 183. Sunt tamen exempla nonnulla, in Tragicis quidem, et extra Chorum, vt Soph. O. T. 1082. et 1466. vbi v. Brunck. Vt autem multa reperiantur horum prorsus similia, admodum vereor. Ita etiam peregrinum quiddam inest in illo τὸ ap. Soph. Philoct. 142, si id accipias pro διὰ τοῦτο: nam ne Homerus quidem dici debet aliter posuisse τὸ, quam pro διό. Quod si ita est, nisi illud Sophoclis τὸ referre ad sequentia, τί σοι χρεὼν ὑπουργεῖν, et prioris generis exemplis annumerare malis, putandus forsan erit poeta dixisse τὸ pro ὅ, quod posterius constat apud Graecos poetas valere διό. Conf. Valcken. ad Eurip. Phoen. 157. Et ταῦτα vel in Atticis prosaicis non raro est pro διὰ ταῦτα, sicut comicus sermo Latinus frequentat *Hoc* pro *ideo*, *propterea*. Etiam in Plat. Sympos. II, 8, insolenter positum est τόν, de ipso Aristodemo, cuius narratio refertur. At ibi Cod. Vindob. Nessel. XXI. exhibet οἳ μὲν γὰρ — et a secunda manu, quae est in rasura, τὸ μὲν γὰρ — vnde vulgatae ortus intelligi potest. Οἳ bene conuenit verbo ἀπαντήσαντα, et ad ἄγειν aptum pronomen facile subauditur. *W.*

quam praepositionem adhibeatur inuersa, vt in hoc exemplo, quod attuli e Xenophonte *M. S.* 3, 1. §. 8. ἵνα ὑπὸ μὲν τῶν ἄγωνται, ὑπὸ δὲ τῶν ὠθῶνται. Sed non ita insolitam esse hanc positionem, docuerunt me tot alia exempla, quae postea obseruaui: quorum quantum satis erit, hic ponam [4]). Lysias *Epitaph.* p. 63. ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἐκινδύνευσαν, ὑπὲρ μὲν τῶν, ἵνα . . ., ὑπὲρ δὲ τῶν ἑτέρων, ἵνα . . . Isocrates *Paneg.* c. 23. τοῖς μὲν γὰρ οὐχ ὕπεισι πράξεις, πρὸς δὲ τοὺς οὐκ εἰσὶν ἁρμόττοντες λόγοι. Et c. 41. εἰς μὲν τοὺς ὑβρίζοντες, τοῖς δὲ δουλεύοντες. Idem *Or. ad Phil.* p. 192. ταῖς μὲν τῶν πόλεων οἰκείως ἔχων, πρὸς δὲ τὰς ἀλλοτρίως διακείμενος. Idem *Trapez.* p. 712. ἐγὼ δὲ τὰ μὲν ἀπολωλεκὼς ἤδη, περὶ δὲ τῶν αἰσχίστας αἰτίας ἔχων. Plato *Phaedr.* 209, 2. ἐν μὲν ἄρα τοῖς, συμφωνοῦμεν· ἐν δὲ τοῖς, οὔ; Aristoteles *Polit.* 8, 5. §. 34. πρὸς μὲν ἐνίας ὀδυρτικωτέρως . . . πρὸς δὲ τὰς μαλακωτέρως. Dio *in Pertinace* p. 833. A. καὶ ἦν ἐπὶ μὲν τοῖς γέλως, ἐπὶ δὲ τοῖς ὀργὴ

4) Propter Xenophontem inprimis conferendus erat Plato Menex. p. 241. B. Τῇ ἀμφοτέρων ξυμβαίνει παιδευθῆναι τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, ὑπὸ μὲν τῶν, κατὰ γῆν, ὑπὸ δὲ τῶν, κατὰ θάλατταν. Iam ne vmbra quidem dubitationis de Xenophontis lectione superest. Nihil autem insolentiae in hac forma loquendi fuisse, optime arguit Isocratis auctoritas. Is orator etsi omne insolitum tanquam scopulum fugere solet, tamen saepissime sic loquitur. Locis ex eo supra allatis adde ex Or. Areop. p. 130. 6. De Pace p. 188. 3. edit. Auger. *W*.

ὀργῇ καὶ λύπῃ. Neque Ionica huius generis exempla desunt Herodotus 1, 87 extremo, οὐδεὶς γὰρ οὕτω ἀνόητός ἐστι, ὅστις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται. ἐν μὲν γὰρ τῇ, οἱ παῖδες τοὺς πατέρας θάπτουσι· ἐν δὲ τῷ, οἱ πατέρες τοὺς παῖδας. Idem 4, 87. στήλας ἔστησε δύο ... ἐνταμὼν γράμματα, ἐς μὲν τὴν Ἀσσύρια, ἐς δὲ τὴν Ἑλληνικά. Sed in Ionismo variationem hanc potius quam inuectionem esse, recte dicas. Igitur quod putabam Xenophontem in loco illo scripsisse, ὑπὸ μὲν τῶν πρώτων, ὑπὸ δὲ τῶν τελευταίων, quam coniecturam Zeunius, Vir clarissimus, in sua editione Memorabilium Socratis et dignam relatu habuit, et Bessarionis interpretatione confirmari monuit, ἀνατίθεμαι.

Quatuor illis modis, quibus ostendi articulum ὁ in Attica lingua pronominis potestate vsurpari, quintus hic addendus est.

E) Post coniunctionem καί, principio constructionis, praegressa interpunctione. Xenophon *C. P.* 1, 3. §. 9. καὶ τὸν κελεῦσαι δοῦναι. Et 4, 2. §. 13. καὶ τὸν ἀποκρίνασθαι λέγεται, Ἐννοῶ γὰρ ... Affert etiam Budaeus haec verba Gregorii, καὶ τὸν εἰπεῖν, πῶς καὶ τίνα τρόπον. Sed plura his exempla nondum habeo: nisi addas illud ex Aristophane *Pl.* 44. καὶ τῷ ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ [5]. Haec verba Portus et Kusterus accipiunt vt interro-

5) Quidni addamus, si modo plura exempla sunt de hoc genere. Sunt vero. V. c. in vno Symposio Plat. duo: II, 3.

interrogantis: quomodo si accipias, τῷ pro τίνι, potius quam pro τούτῳ, positum erit. Hemsterhusius praefert orationem rectam, vt optime cum sententia congruentem: sed, Vix credo, inquit, Aristophanem ὁ pro ὅδε vel οὗτος hoc pacto posuisse: quare malim, καὶ τῷδε ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ. Apud me tanta Hemsterhusii auctoritas est, vt ob duo illa Xenophontis loca nolim ab eo dissentire. In Herodoto quidem, Ionico scriptore, nihil frequentius hac formula occurrit.

Pagina 15 loquens de vsu articuli praepositiui eo, quum nomen quod sequi debebat, omittitur, et pro eo sequitur articulus postpositiuus, dixi rarum esse apud veteres hunc articuli vsum, et eius duntaxat neutro genere. Sed nec vsus ita rarus est, nec genere duntaxat neutro articulus eo vsu adhibetur,

II, 3. καὶ τὸν εἰπεῖν, ὅτι ἐπὶ δεῖπνον εἰς Ἀγάθωνος. Et XXX, 5. καὶ τὸν ἰέναι, ἀγόμενον ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. In Aristophanis autem versu etsi Brunckius quoque τῷ interrogatiue accepit, tamen sensus me meus, nescio quomodo, ad alteram rationem retrahit, vt seruus dicat, *Et huiccine tu occurrebas primo?* Neque haec non sunt interrogantis. Sed interrogatio in tota sententia inest, non in voce aliqua, pronomine τῷ accepto pro τούτῳ. Quae ratio cur et Hemsterhusio placuerit, suspicor hanc fuisse caussam, quod seruus, hoc dicens, iam aliquamdiu caecum hominem ob oculos habebat. Quocirca parum me mouet, quod dominus respondens non dicit eadem potestate τῷ, sed τούτῳ. Quippe posterius maiore vi se commendare poetae poterat. *W.*

tur, et pro articulo poſtpoſitiuo alia dictio relatiua poteſt inferri, nec ſemper omiſſum eſt nomen, quod cogitatione poſſit aut ex praecedentibus verbis repeti, aut aliunde ſuppleri, ſed multo ſaepius articulus praepoſitiuus in eiusmodi conſtructione vicem ſubit alterius vtrius duorum pronominum demonſtratiuorum, aut eius quod rem vel perſonam demonſtrat propiorem, οὗτος, aut eius quod remotiorem, ἐκεῖνος. Quoties apud Ariſtotelem in Metaphyſicis et alibi legas, τὸ οὗ ἕνεκα, τὸ ἐξ οὗ γίγνεταί τι, et ſimilia? Nam huius generis apud eum copia ſuperat. Vt *Categ* c. 7. §. 12. edit. Pac. οὕτω δὲ ῥᾷστα ἂν ἴσως τις λάβοι οἷς μὴ κεῖται ὀνόματα, εἰ ἀπὸ τῶν πρώτων καὶ τοῖς πρὸς ἃ ἀντιστρέφουσι, τιθείη τὰ ὀνόματα. Et §. 15. καταλειπομένου δὲ μόνου τοῦ πρὸς ὃ ἀπεδόθη. Sic etiam Plato *de Rep.* 6. 434, 31. ὡς τὸ δοξαστὸν πρὸς τὸ γνωστὸν, οὕτω τὸ ὁμοιωθὲν πρὸς τὸ ᾧ ὡμοιώθη. Genere maſculino articulum ita poſuit Lyſias κατὰ Παγκλ. p. 733. τόν τε Εὐθύκριτον, ὃν πρῶτον ἠρόμην, καὶ τῶν ἄλλων Πλαταιέων ὅσοις προσῆλθον, καὶ τὸν ὃς ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι, μάρτυρας παρέξομαι. Tayloro viſum eſt excidiſſe poſt articulum τόν, hominis huius qui ſe Pancleonis dominum eſſe dixit, nomen, quod proxime poſt legitur, idque hic reſtitui debere, vt eſſet, καὶ τὸν Νικομήδην, ὃς ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι. Sed nec paullo ante orator de homine iſto loquens, eum nomine appellauit, ſatis habens dicere modo, εἷς δέ τις εἶπεν. Erat, vt videtur, homo humilis de plebe, ignotus iudicibus, quem nihil referebat nominare. Nominat eum tum denique

que orator, poſtquam is teſtimonium dixerat, et ſuum ipſe nomen ediderat. Itaque recte monuit Reiskius, hunc locum bene habere, nihil deeſſe, idem eſſe τὸν atque τοῦτον. Centies, inquit, articulus praepoſitiuus ὁ pro pronomine οὗτος vſurpatur. Ego tot exempla, quae ſint huius plane ſimilia, dubito an ex Atticis illorum temporum afferri poſſint. Ipſe vnum afferam, ſed nec ſimile prorſus, et ex Euſtathio deſumtum. Hic ad *Il.* a, 363. Ἡσιόδῳ μὲν δοκεῖ ἐκεῖνον πανάριστον εἶναι ὃς ἑαυτῷ πάντα νοεῖ, πρὸς ἰδιώτην λαλοῦντι· δευτερεύειν δὲ τὸν. ὃς ἂν ἑτέρῳ εὖ εἰπόντι πείθηται. Denique, vt dixi, etiam alia dictio aliqua relatiua ſequi poteſt. Inter exempla quae dabo, erunt etiam in quibus articulus item genere alio quam neutro adhibitus occurrat. Ariſtoteles *Metaph.* 1, 5. p. 14. l. 23. edit. Sylb. ταύτην τε αἰτίαν τιθέντων, καὶ πρὸς ταύτῃ τὴν ὅθεν ἡ κίνησις. Quomodo ibidem etiam paullo poſt loquitur. Vides hic poni τὴν pro ἐκείνην. Plato *Protag.* 287, 24. τυποῦσιν αὐτὰ θεοὶ γῆς ἔνδον, ἐκ γῆς καὶ πυρὸς μίξαντες, καὶ τῶν ὅσα πυρὶ καὶ γῇ κεράννυται. Satis frequens formula haec eſt, vt poſt articulum praepoſitiuum, a littera τ incipientem, et numero plurali poſitum, inferatur ὅσοι, ὅσαι, ὅσα. Itaque in τῶν ὅσα licet poſt articulum ſubintelligere πάντων. Quod clarius etiam apparebit ex hoc Syneſii loco, Epiſt. 103 ſcribentis ad Pylaemenem, ἐγὼ δὲ φιλοσοφίαν τιμῶ τε, καὶ τῶν ὅσα ἀνθρώπινα ἀγαθὰ, προτιμῶ. Et ex hoc Theocriti 16, 5. Τίς γὰρ τῶν ὁπόσοι γλαυκὰν ναίουσιν ὑπ' ἀῶ, et quae ſequuntur. In Home-

rico autem loco fimillimo, qui eft *Il.* 17, 171. ἐφάμην σε περὶ φρένας ἔμμεναι ἄλλων Τῶν, ὅσσοι Λυκίην ἐριβώλακα ναιετάουσι, quaerat aliquis, vtrum articulus τῶν, quoniam ei praecedit nomen ἄλλων, habeat vim pronominis demonftratiui, an ἄλλων τῶν per traiectionem dictum fit pro τῶν ἄλλων. Qui prius tueri velit, dicat, poetam rariffime vti folere articulo alia quam pronominis poteftate, nifi quum fignificanda fit rei vel perfonae quaedam excellentia [6]: quam hic nullam effe. Pofterius ita defendas, non Lyciis *aliis* Glaucum praeftare, fed *ceteris*, quoniam iis omnibus praeftare dicatur: nomen ἄλλοι, fine articulo, effe *alii*, cum articulo autem; οἱ ἄλλοι, *ceteri*: huius discriminis cauffa ipfum quoque poetam alibi articulum adhibere, vt *Il.* 1, 465. τἄλλα, et 2, 674. τῶν ἄλλων Δαναῶν, et 10, 408. τῶν ἄλλων Τρώων, et 15, 67. τοὺς ἄλλους, et 18, 103.

6) Caute et fubtiliter Reizius; ego olim pinguius quaedam fcripfi de Homerico vfu articuli in Praef. ad Iliad. p. XXXVIII. Nunc nihil dubito, quin τὸν Χρύσην poeta dixerit, vt perfonam fama celebrem, et auditoribus iam tum quum primum eius nomen audirent, notiffimam. Omnino vt faepe apud Homerum animaduertere licet, hanc partem orationis, quem articulum dicunt, linguae Graecorum ferius acceffiffe: fic idem poeta aliis in locis, quae non funt ita pauca, in articulo adhibendo pofterae aetatis accuratiori vfui plane proludere videri debet. Vt pauca de multis, vide mihi Il. A. 167. K. 11. Odyff. E. 266. I. 181. 266. 310. 375. 378. 430. 543. Σ. 228. *W.*

103. τοῖς ἄλλοις [7]). Mihi neutra satis ratio placet. Non prior: nullam enim hic neque propiorem neque remotiorem demonstrationem video locum habere: nec enim omnes Lycii domo venerant. Porro si τῶν pro τούτων vel ἐκείνων accipimus, ineptum ac frigidum est illud quod praecedit, ἄλλων, quod abesse oportebat. Non posterior: nam articulum praepositiuum contra naturam suam postponi, vix credo,

7) At non semper, vt posthac ex Apollonio Alex. recte notatur. Pertinet res ad eundem articuli vsum Homero minus frequentatum, vt dixi. Veteres tamen Critici, nominatim Zenodotus, hoc adeo non probarunt, vt saepe ad coniecturam progressi ex ἄλλοι facerent ὧλλοι, quo modo scilicet Alexandrini loquebantur. Sed refutarunt illorum conatum olim plures, alii minus bene, vt Schol. ad Apollon. Rhod. I, 1081, alii hoc ipso argumento; quod attulimus: qualia passim exstant in Scholiis ad Iliadem, a Villoisonio, Eustathio altero, in lucem prolatis. Ceterum discrimen illud verborum, ἄλλοι, οἱ ἄλλοι, οἱ λοιποὶ, verissimum est; et obseruatum in Latino quoque sermone a viris aliquot doctis saeculi XVI, quos paene solos Latine scisse dixeris. Nam qui nostro tempore Latine, aut, vt malunt, *bene Latine* scribere putantur, ii saepe miscent inter se et turbant omnia. Apud antiquos *alii* sunt: ἄλλοι, (*andere;*) *ceteri*, οἱ ἄλλοι, (*die andern;*) *reliqui*, οἱ λοιποί, (*die übrigen*.) Hinc illa, ἄλλοι πολλοί, et οἱ ἄλλοι πάντες; et Latine *ceteros multos* nemo dixerit. Quodsi harum vocum discrimen, quum paullo tenuius sit, nonnunquam ab ipsis veteribus negligitur, nihil id mirum est. Sic et hodie Gallorum optimos subinde praecepta Girardi sui migrare videmus. *W*.

credo, nec id arguunt exempla, quae aliquis posſit obiicere. Vt *Il.* 2, 351. Ἤματι τῷ ὅτε, *Die illo quum.* 4, 40. πόλιν ἐξαλαπάξαι Τὴν ἐθέλω ὅθι, *vrbem illam vbi* [8]). *Od.* 1, 116. Μνηστήρων τῶν μὲν σκέδασιν κατὰ δώματα θείη, *Horum procorum*, inter quos Telemachus, quum haec ſecum cogitaret, ſedebat.

8) Male a nonnullis h. l. τὴν accipitur pro τινά. Nam primum quum ad rem abſentem ſeu remotiorem demonſtrandam adhibeatur ἐκεῖνος, tum pro eo minus quidem proprie οὗτος, pro hoc autem articulus ὁ; hicce articulus etiam abſenti rei demonſtrandae vſurpari poterat. Eſt ergo πόλιν ἐκείνην, *illam*, *talem*. Deinde articuli pro infinito pronomine poſiti ne vnum quidem exemplum Homeri vnquam vidi. Habent hunc vſum, ſi verus eſt, Plutarchus aliique iſtius aetatis: idem apud veteres et probos ſcriptores an exſtet, dubitare licebit, etiam excuſſis exemplis, quae Zeunius ad Xenoph. C. P. II, 4, 23. dedit poſt alios. Sunt enim ſimilia pleraque his eiusdem Xenoph. Hellen. III, 3, 7. εἰς τὸν σίδηρον, et §. 8. τὴν γυναῖκα. Illic enim ὁ σίδηρος valere poteſt *forum, in quo ferramenta et tela vendebantur Lacedaemone;* vt τοὔψον, τοὔλαιον, ἰχθύες, vt alia in quotidiano ſermone: (conf. Pierſon. ad Moerid. p. 351:) hic vero τὴν γυναῖκα Xenophon dicere potuit *mulierem quandam notam et vulgatam.* Quo modo et Plato mihi videtur ſcripſiſſe de Rep. I. p. 329. E. τῷ Σεριφίῳ λοιδορουμένῳ, *noto iſti homini S.* vbi vulgo vertunt, *Seriphio cuidam*, nempe ex Cic. Cat. M. 3. Similiter Plutarchus in Themiſt. p. 121. A. et p. 118. A. Huiusmodi ergo exempla rem, quam iſti volunt, vix conficiant. Certe licet dubitare, vt dixi: peritiores meliora me edoceant. *W.*

sedebat. In his et similibus locis articulus adhibetur vice pronominis demonstratiui. Pindarus quidem *Ol.* 2, 140. Πόσις ὁ πάντων Ῥέας Ὑπέρτατον ἐχοίσας θρόνον. Et 8, 41. παῖς ὁ Λατοῦς. Vbi articulus et postpositus nomini est, nec pronominis habet significationem. Sed non ita postpositus est articulus, vt nihil quod ad eum pertineat, sequatur. Nam constructio haec est, ὁ τῆς Ῥέας πόσις, ὁ τῆς Λητοῦς παῖς. Mutato igitur in hunc modum ordine, πόσις ὁ τῆς Ῥέας, παῖς ὁ τῆς Λητοῦς, facta est non omnium vocabulorum traiectio, sed vnius tantum. Quid, quod ne traiectionis quidem figura potius quam ellipsios, videtur statuenda esse? Nam optime Graece dicitur, ὁ πόσις ὁ τῆς Ῥέας, ὁ παῖς ὁ τῆς Λητοῦς. Ergo tantum prior articulus omissus a Pindaro est. Sed vt exempla inueniantur articuli vere postpositi, si ea non Homerica erunt, non me vincent. Quomodo igitur locum illum Homericum exponemus? Obseruatum iam est ab Apollonio Alexandrino 1, 11. vbi disputat, quando nomen ἄλλοι adsciscat articulum, et quando non, sed, vt videtur mihi quidem, angustioribus terminis circumscribens necessitatem articuli adiungendi, obseruatum, inquam, ab Apollonio est, solere interdum etiam vbi articuli assumtio necessaria sit, eum a poeta omitti, vt in hoc *Il.* 15, 87. Ἡ δ' ἄλλους μὲν ἔασσε, Θέμιστι δὲ καλλιπαρῄῳ Δέκτο δέπας. nam omnes deos intelligendos esse, qui tum in coenaculo erant vna. Dico igitur etiam in isto loco deesse articulum ante ἄλλων, et eum qui post ἄλλων sequitur, pertinere ad verba quibus praepositus est:

eſt: nam poeta voluit dicere, *τῶν ἄλλων Λυκίων.* Quod alia conſtructione poteſt etiam ſic dici, *τῶν ἄλλων τῶν ἐν Λυκίᾳ οἰκούντων*, et rurſus variata ea conſtructione, ſic, *τῶν ἄλλων τῶν ὅσοι ἐν Λυκίᾳ οἰκοῦσι.* Nec in vltima iſta conſtructione ambiguitas vlla oritur, priore articulo *τῶν* ante *ἄλλων* omiſſo. Itaque melius veteres editiones Homeri quam Clarkiana, vt aliis in locis, ita etiam in hoc interpungunt: nam illae comma poſitum habent poſt *ἄλλων*, Clarkiana poſt *τῶν.* Imitatus eſt Homerum Plato *Soph.* 105, 42. *ἢ καὶ περὶ τεχνῶν τῶν ὅσαι περὶ ταῦτά εἰσι* [9]). Nam vulgatius erat, *ἢ καὶ περὶ τεχνῶν τῶν περὶ ταῦτα οὐσῶν.*

Vt abſoluam, quod ſupra coepi oſtendere, varias dictiones relatiuas poſt articulum inferri poſſe: Xenophon *Hiſt. Gr.* 2, 3. §. 17. *γνόντες μὲν τοῖς οἷοις τε ἡμῖν καὶ ὑμῖν χαλεπὴν πολιτείαν εἶναι δημοκρατίαν.* Locus tranſpoſitis duobus vocabulis vitio liberabitur, ſi legas, *τοῖς οἵοις ἡμῖν τε καὶ ὑμῖν.* Deeſt

9) De germana imitatione vix cogitandum. Adhibet ille eam ſtructuram ſaepius. De Legg. IV. p. 714. E. *Ἔστι τοῦτο ἓν ἐκείνων τῶν ἀδικημάτων ἀρχῆς πέρι. — Ποίων δή; — Τῶν ἃ τότε ἐπεσκοποῦμεν* etc. Lib. V. p. 731. C. *Τὰ δ' αὖ τῶν ὅσαι ἀδικοῦσι μὲν, ἰατὰ δὲ, γιγνώσκειν χρὴ* etc. Lib. VI. p. 766. A. *Ἄνθρωπος — παιδείας τυχὼν καὶ φύσεως εὐτυχοῦς, θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῶον γίγνεσθαι φιλεῖ· μὴ ἱκανῶς δὲ τραφὲν, ἀγριώτατον ὁπόσα φύει γῆ.* Vbi legendum, *ἀγριώτατον τῶν ὁπόσα φ. γ.* Neque vero iſte locus Homeri vnicus eſt ſui generis. Prope geminum habes Odyſſ. B. 119. *W.*

Deeſt nomen *τοιούτοις*, ellipſi vſitatiſſima. Et velim notes idiotiſmum conſtructionis, *οἵοις ἡμῖν*. Quae propria Graeciſmi conſtructio etiam in ceteris caſibus obliquis, genitiuo et accuſatiuo, locum habet. Eius quae ſignificatio ſit, facile intelligitur: nam vbique in eius vicem ſubſtitui poteſt haec ſimpliciſſima formula, *οἷοί ἐσμεν ἡμεῖς*. Quam autem habeat conſtructio ea rationem, fruſtra quaeſiui qui oſtenderet. Hoc igitur nos experiamur. Incipiamus ab accuſatiuo: nam eum caſum facilius patebit regi ab eodem verbo tacite repetito, a quo regebatur caſus idem nominis *τοιοῦτος* vel poſiti vel ſubauditi. *Οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας, οὐδὲ ἴδωμαι, Οἷον Πειρίθοον*. (*Il.* 1, 262.) Scilicet verbum *ἴδον* repetendum eſt, *οἷον ἴδον Πειρίθοον*. Itaque nulla hic eſt anomalia caſus, non magis quam ſi dicas, *οἷος ἦν Πειρίθοος*. Vtraque harum formarum idem ſignificat: ſed altera idiotica eſt; altera, communis. Vbi autem a verbo regitur caſus datiuus, ibi repetitio ſimplicis verbi ſatis non eſt, ſed paene tota bis repeti debet oratio. Vt Xenophontis locum ante allatum ſic reſoluas, *τοῖς τοιούτοις χαλεπὴν πολιτείαν εἶναι δημοκρατίαν, οἵοις χαλεπὴ πολιτεία ἡ ἡμῖν τε καὶ ὑμῖν οὖσα χαλεπή*. Similiter idem Xenophon *M. S.* 2, 9. §. 3. *χαριζόμενον οἵῳ σοὶ ἀνδρί*. Nempe, *χαριζόμενον ἀνδρὶ τοιούτῳ, οἵῳ χαρίζεται ὁ σοὶ χαριζόμενος*. Et Plato *Soph.* 104, 2. *Χαλεπὸν ἤρου, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν οἵῳ γε ἐμοὶ παντάπασιν ἄπορον*. Id eſt, *παντὶ τοιούτῳ παντάπασιν ἄπορον, οἵῳ γε ἄπορον τὸ ἐμοὶ ἄπορον ὄν*. Eadem ſupplendi ratio neceſſaria erit, ſi

genitiuus

genitiuus caſus a verbo regatur. Sed nulla exempla in promtu habeo, in quibus is caſus occurrat [10]).

Illud hic addere opus eſt, ſi nominis *τοιοῦτος* caſus accuſatiuus regatur a verbo dicendi aut alio eius generis, et habeat ſuum ſibi verbum adiunctum infinitiuo modo, tum alterum nomen relatiuum *οἷος* conſtrui cum alio verbo, et poni eo caſu quem id verbum adſciſcat. Nam in qua oratione verbum dicendi aut ſimile regit caſum accuſatiuum, in ea is caſus, vt cum Logicis loquar, ſubiectum eſt attributi: quod ſubiectum, omiſſo verbo regente, conuerti poteſt et debet in caſum nominatiuum. Vt, *Μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.*

10) Genitiui, in hac conſtructione rarioris, exemplum hoc eſt ex Plat. Sympoſ. XXXV, 4. *Καί ποτε ὄντος τοῦ πάγου οἵου δεινοτάτου.* Quod forſan ſic reſoluas: *ὄντος τοῦ πάγου τοιούτου, οἵου ὄντος λέγομεν, ὄντος δεινοτάτου*, h. e. *glacies qualem dicimus eſſe, quum eſt ſaeuiſſima.* Hac ambage circumloquendi opus eſt ad hoc genus explicandum. De qua tamen nemo fortaſſe Graecus homo cogitauit, vt nec Latinus, vbi diceret, *Quum maxime, vt cum maxime.* De Grammaticis veterum non loquimur. Sed vulgus, penes quod norma eſt et arbitrium loquendi, adeo ducitur analogiae ſenſu, vt ea, quae in vno aliquo genere ſatis cauſſae habent, eadem in aliis aut minore ratione aut nulla ad imitationem trahat. Inde fit, vt non raro conſtructio aliqua auctores habeat optimos, cuius difficile ſit probabilem ſolutionem afferre. *W.*

δρῶν. (*Il.* 6, 488.) Omiſſo verbo φημί, recta oratio exiſtet, μοῖραν δ' οὔτις πέφευγεν ἀνθρώπων. Iam οἷος ἐγώ, vel quodcunque aliud ſiue pronomen ſiue nomen poſt οἷος inferatur, ſi partem ſubiecti conſtituat, ideo non poteſt in obliqua oratione transire in accuſatiuum, quod alioqui praeter ſenſum eius qui loquitur, perſonam illam cum qua is alteram confert, intelligeremus talem eſſe ab eo dici tantum, non talem eſſe, habentibus eam cognitam iam omnibus iis qui audiunt.

Illuſtrabit haec, et viciſſim hinc illuſtrabitur quidam Xenophontis locus, duplici vitio corruptus et deprauatus. *Hiſt. Gr.* 1, 4. §. 6. οὐκ ἔφασαν δὲ τῶν οἵων περ αὐτὸς ὄντων καινῶν δεῖσθαι πραγμάτων. Vitium in his verbis eſſe, omnes vident: ſed quid eſſet vitii, vnus rectiſſime vidit Leunclauius, et eo ſublato veram lectionem reſtituere potuit. Vidit primum, illud οἵων περ αὐτός, in quo maxima et foediſſima pars vitii erat, quam alii praeterierunt et intactam reliquerunt, ita mutandum eſſe, οἷός περ αὐτός. Deinde, pro illo τῶν ὄντων, legi debere, τὸν ὄντα. Vt haec ſit loci totius lectio, quam germanam eſſe mihi omnia perſuadent, οὐκ ἔφασαν δὲ τὸν οἷός περ αὐτὸς ὄντα, καινῶν δεῖσθαι πραγμάτων [11]). Alii, quos offendebat

11) Mireris forſitan, cur non potius ita refinxerit: τὸν οἷόν περ αὐτὸν ὄντα, vt ſit τὸν ὄντα τοιοῦτον οἷός περ εἴη αὐτός. Et verſabantur ei in oculis eiusdem, vt videtur, ſtructurae loci, II, 3, 17. et M. S. II, 9, 3. Ergo

debat hoc vnum et solum, τῶν ὄντων, quod vnde aptum esset non haberet, vocabulo inserto legi voluerunt, οὐδένα τῶν ὄντων. Alii denique statuerunt hic deesse nomen τινά, vsitata ellipsi. Nemo eorum omnium, credo, non etiam offensus est isto iniucundo et minime Xenophonteo sono verborum, orto ex tot similibus casibus, qui et eandem terminationem, et, quae res iam proprie huius concursus odium importat, duas diuersas constructionis caussas habent, semel, οὐδένα τῶν τοιούτων ὄντων, iterum, καινῶν δεῖσθαι πραγμάτων. Sed recte illi non putarunt eiusmodi caussam vnam solam idoneam esse, propter quam lectio mutaretur. Sed vtique accedit etiam alia caussa, cur τὸν ὄντα praestet legere simpliciter, quam τῶν ὄντων, et aut οὐδένα addere, aut subintelligere τινά. Vsitatius enim est et elegantius, οὐκ ἐδέετο καινῶν πραγμάτων οἷος αὐτὸς ἀνήρ, vel, ὁ ὤν οἷός περ αὐτός, quam hoc, οὐ καινῶν πραγμάτων ἐδέετό τις τῶν οἷός περ αὐτὸς ὄντων. Satis igitur fuerat dicere, τὸν ὄντα, singulari numero, etiamsi plures fuissent, qui possent cum Alcibiade, (nam de hoc sermo est,) comparari. Nunc neminem ei quenquam in ciuitate similem fuisse quum

Reizium, opinor, analoga haec non videntur mouisse. Neque ego, quamquam alteri coniecturae faueo, haud prius tamen ab amico dissentire ausim, quam exemplum accusatiui eadem in forma ostendatur. Conuenit huc, quod ille scripsit supra, aliud esse ratiocinari in linguis veterum, quomodo loqui potuissent; aliud, exemplis ostendere, quomodo essent locuti. *W.*

quum credant ii, quorum Xenophon memorat ſermonem, tanto minus videntur ita locuti eſſe, quaſi multitudo eſſet virorum, quos putarent cum eo conferri poſſe. Omnia ergo haec veram eſſe conficiunt emendationem Leunclauianam, et conſtructio legitima, et ſonus gratior, et loquendi vſus, et conſentanea loquentium voluntati oratio.

Sequitur continuo iſtum in Xenophonte locum alius, de quo hic disputare multas ob cauſſas neceſſarium eſſe arbitror, vt et noſtrarum praeceptionum vtilitas magis pateat, et in iis applicandis alios ab errore auertamus, et doctis hominibus tantum laudis, quantum cuique debetur, perſoluamus. Poſt verba iſta quae modo retulimus, *οὐκ ἔφασαν δὲ τὸν οἷός περ αὐτὸς ὄντα, καινῶν δεῖσθαι πραγμάτων, οὐδὲ μεταστάσεως,* haec ſtatim inferuntur, editionibus prioribus omnibus ita et legentibus et interpungentibus: *ὑπάρχειν μὲν γὰρ ἐκ τοῦ δήμου ἑαυτῷ μὲν, τῶν τε ἡλικιωτῶν πλέον ἔχειν, καὶ τῶν πρεσβυτέρων μὴ ἐλαττοῦσθαι· τοῖς δ᾽ αὐτοῦ ἐχθροῖς τοιοῦτος δοκεῖν εἶναι, οἷός περ πρότερον. ὕστερον δὲ δυνασθεῖσιν, ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους, αὐτοὺς δὲ μόνους λειφθέντας, δι᾽ αὐτὸ τοῦτο ἀγαπᾶσθαι ὑπὸ τῶν πολιτῶν, ὅτι ἑτέροις βελτίοσιν οὐκ εἶχον χρῆσθαι.* Multas hic locus habet difficultates, partim ſententiae, partim conſtructionis: quarum Leunclauius nullam ſenſit, niſi vnam, quae ipſa quoque ſublata ei videbatur, ſi haec verba, *ὕστερον δὲ δυνασθεῖσιν,* ita mutaſſet, *ὕστερον μὲν δυνασθέντας.* Itaque locum totum ſic vertit:

repetemus autem etiam verba ea quae proxime antecedunt: *Negabant eiusmodi hominem, qualis esset ipse, quidquam egere nouis rebus, vel publici status mutatione. Posse hoc illum populi beneficio, vt et ipse sit aequalibus superior, grandioribus natu non inferior: et aduersariis suis talem se declaret, qualis olim fuerit. Posteaquam illi potentiam quandam nancti ad extremum essent, optimos quosque sublatos e medio fuisse: quumque soli in republica restarent, hanc vnam ob caussam ciuibus fuisse caros, quod vti meliorum opera non possent.* Atqui loquebantur isti homines de re iam tum praeterita: id quod ita clarum est et ex antegressa eorum oratione, miserantium Alcibiadis ab exilio reuersi calamitatem praeteritam, et ex clausula verborum superius allatorum, inimicos Alcibiadis pristinos accusante, vt mihi miraculo fuerit, Leunclauium aliter accipere maluisse. Nequaquam enim ignorabat, obliquos verbi et infecti et perfecti modos, eosdem esse temporis et instantis et praeteriti. Sed nimirum perspexerat, si haec infinitiui modi verba, δεῖσθαι, ὑπάρχειν, et reliqua, tempore praeterito accepta interpretaretur, sententiam falsam et plenam absurditatum orituram esse. *Nullam caussam Alcibiades habuit rerum nouarum: potuit enim hoc ille, populi beneficio, vt . . . aduersariis suis talem se declararet, qualis olim fuisset.* Non ideo nullam caussam rerum nouarum habere potuisset, aduersariorum inuidia oppressus: non populo, sed sibi et aduersariorum aequitati hoc debuit, si apud illos efficere potuit, vt bene de ipso existimarent: non si aduersarii bene de illo existimarunt, ea

caussa

caussa minus ei nocere velle potuerunt: non si bene meritus erat, sequitur etiam innocentem fuisse: non si antea innocens, etiam post. Sed quanquam tolerabilior est ea sententia, quae verbis ad praesens tempus relatis oritur, non minus tamen falsa est. Quis credat homines, Alcibiadis virtutem atque innocentiam praedicantes, hoc dicere voluisse, nullam ei rerum nouarum caussam futuram esse in posterum? Quid, vtrum Alcibiadi nunc demum, an iam ante a populo tributum hoc erat, vt et aequalibus anteferretur, nec maioribus natu postponeretur? Num si eius aduersarii de ipso in posterum ita existimabunt, vt olim, ei minus iam quam antea inuidebunt? Ergo per illam correctionem, quae a Leunclauio adhibita est, locus nihilo sanior est factus.

Qui ante hos quatuor annos Xenophontis Historiam Graecam edidit, Vir omni et liberali doctrina et morum humanitate politissimus, quem ego successor ipsi datus in munere litterarum Graecarum et Latinarum docendarum, intueor in exemplum virtutis atque industriae, Sam. Frid. Nath. Morus, locum istum praecipua quadam cura et diligentia tractauit, et leni remedio vsus, multo sanabiliorem effecit: non enim per veritatem licet mihi dicere, persanauit. Bene primum admonuit, pro ἑαυτῷ legendum esse αὐτῷ. Quod ita verum est, vt nimis timidus fuisse videatur, qui non sit ipse locum aggressus monstro liberare. Sed palmarium hoc est, quod verba, τοῖς δ' αὐτοῦ ἐχθροῖς, vidit regi,

non a *δοκεῖν*, ſed ab *ὑπάρχειν*. Ea re animaduerſa, potuit iam ex nominatiuo ſingulari *τοιοῦτος*, facere datiuum pluralem *τοιούτοις*. Debuit etiam *οἷος* corrigere: ſed an id recte in *οἵοις* mutarit, videamus. *ὑπάρχει τοῖς ἐχθροῖς μου τοιούτοις δοκεῖν εἶναι, οἵοις περ πρότερον*. Hoc non poteſt aliter ſuppleri, niſi ad hunc modum, *οἵοις περ δοκεῖν εἶναι ὑπῆρχε πρότερον*. *Tribuitur hoc inimicis meis, vt exiſtimentur tales, quales vt exiſtimarentur, tributum erat antea.* Quibusnam tributum erat antea, vt exiſtimarentur tales? iis ipſis, an aliis? et aliis meis, an aliis inimicis? Ergo ego qui loquebar, debueram ipſe dicere, vt qui me audiebat, id ſciret, *οἵοις περ πρότερον αὐτοῖς*, vel *ἄλλοις ἐμοῖς*, vel *τοῖς τοῦ δεῖνος*. Ergo ſi Xenophon ita locutus eſt, in eius verbis aliquid excidit. Sed nec ſententia ſimilis apta foret in iſto loco, et ea quam interpres vult eſſe iſtius loci, paullo alia eſt: *inimicos Alcibiadis tales videri, quales dudum exiſtimati eſſent.* Hoc iam non eſt, *οἵοις περ πρότερον*, ſed, *οἷοί περ πρότερον*, quia nihil aliud ſuppleri debet niſi hoc, *ἔδοξαν εἶναι*. Clarum eſt igitur, hac ſententia poſita, ex *οἷος* faciendum fuiſſe *οἷοι*, non *οἵοις*. Denique, vt oſtenderet, in his verbis quae ſequuntur, *ὕστερον δὲ δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους*, et participii caſum datiuum, et verbi modum infinitiuum regi ab illo ſuperiore *ὑπάρχειν*, aliud ſignum diſtinctionis adhibuit, puncto poſt *πρότερον* mutato in comma. Iam locum ita interpretatus eſt: *Negabant, virum qualis eſſet Alcibiades, nouis rebus indigere. Nam a populo ei contigiſſe, (h. e. populi beneuolentia ei hoc tributum*

tributum esse,) vt aequalibus praeferretur, maioribus natu haud postponeretur: sed inimicis eius contigisse, (h. e. eos hunc fructum cepisse,) vt tales viderentur, quales dudum existimati essent; ad extremum vero aucti opibus, optimates tollerent, ipsique adeo, quippe soli superstites, a ciuibus probarentur, quia ciues neminem haberent meliorem. In hac ego interpretatione illud primum obseruo et miror, quod in ea similiter vt in Leunclauiana, homines illi finguntur de rerum statu praesente loqui: nam, vt supra ostensum est, loquebantur de statu rerum praeterito. Fecisse autem interpretem homines istos loqui de praesente rerum statu, hinc patet, quod eos negasse dicit nouis rebus Alcibiadem *indigere*, non, *indiguisse.* Itaque nec illud *contigisse* habet hanc significationem, *illo tempore contigisse*, verum hanc, *hoc tempore contigisse.* Neque illa, *praeferretur, postponeretur, viderentur, existimati essent*, redacta in modum indicatiuum, hoc valent, *praeferebatur, postponebatur, videbantur, existimati erant*, sed hoc, *praefertur, postponitur, videntur, existimati sunt.* Nam obliqua oratio pendens a verbo praeteriti temporis, vt haec a verbo *negabant*, id proprium habet, vt verba temporis instantis infecti et perfecti, si coniunctiuo modo efferri debeant, huius tempore praeterito infecto et perfecto efferantur. Quae regula quum interdum varietatis caussa etiam a Liuio negligatur, potuisset interpres, nisi regulam sequi maluisset, aeque bene dicere, *praeferatur, postponatur, videantur, existimati sint.* Nihilominus tamen quum video, quam sententiam habeant quae

 sequuntur

ſequuntur verba, et quo nexu eam interpres cum antecedentium verborum ſententia vinxerit, rurſus cogor credere, illum et ipſum accepiſſe et ab aliis accipi voluiſſe hanc totam orationem de praeterito ſtatu ciuitatis: vt *indigere* pro *indiguiſſe* per enallagen ab eo dictum eſſe oporteat. Ergo id ſumam et ponam. Quaero, ſi eo tempore, quo Alcibiades florebat in republica, eius inimici tales exiſtimabantur eſſe, quales dudum antea, nempe, vt opinor, mali et improbi homines, qui Alcibiadis gloriae inviderent, et eum opprimere ac perdere ſtuderent: num is ob eam rem nihil cauſſae habuit, cur ſtatum reipublicae mutari vellet? Immo ſibi viſus eſſet maximam et iuſtiſſimam habere, vt ſe ab inimicorum iniuriis tutum ſeruaret. Atqui dicuntur haec, vt ad eam rationem pertinentia, quare nihil fuerit, quod Alcibiadem ad res nouas moliendas inu[illegible]e poſſet. Id clarum eſt ex ipſa orationis Gra[illegible]e ſtructura, ὑπάρχειν μὲν γὰρ ἐκ τοῦ δήμου, αὐτῷ μὲν — τοῖς δ' αὐτοῦ ἐχθροῖς — Quem nexum interpretatio Latina vellem declaraſſet, aut non, particula *ſed* adhibita, magis obſcuraſſet. Deinde quaero, quomodo ad eam rationem, quae reddenda erat, illa pertineant, contigiſſe inimicis illius, vt opibus aucti, perderent optimates? vt ſoli ſuperſtites, a ciuibus probarentur? Praeterea quum ἀπολλύναι regatur ab ὑπάρχειν, Xenophon autem non ſimpliciter dixerit, ὑπάρχειν; ſed cum adiuncto, ὑπάρχειν ἐκ τοῦ δήμου, ſi hoc adiuncto non, vt forſitan vitii minuendi cauſſa factum eſſe video, in prioribus verbis duntaxat, quae de Alcibiade loquuntur,

quuntur, agnoſcere, in poſterioribus autem quae de inimicis eius loquuntur, diſſimulare volumus: quae ſententia haec eſt, populum inimicis Alcibiadis hoc tribuiſſe atque conceſſiſſe, vt dominationem quaererent, et potentiam conſecuti, optimum quemque ciuium e medio tollerent? Sed non libet omnia, quaecunque habent aliquam offenſionem, attingere. Satis enim iam apparere debet, non poſſe fieri, vt non in verbis Graecis, et ſententias has et hunc earum inter ſe nexum offerentibus, aliquod ingens adhuc vitium deliteſcat.

Videor mihi, quibus in verbis labes inſideat, reperiſſe: quae ſi amputauero, et iis amputatis reliqua omnia tam apte coire ostendero, vt nihil amplius deſiderari poſſit, non vereor, ne quis me ob adhibiti remedii violentiam ſit audaciae inuidia oneraturus. Aio igitur ex his verbis, *οἵοις περ πρότερον, ὕστερον δὲ δυνασθεῖσιν*, omnia quae inter primum et vltimum, inter *οἵοις* et *δυνασθεῖσιν*, media intercedunt, eſſe tollenda et excidenda. Vide ſanam et valentem, quae prodit oratio. *Ὑπάρχειν μὲν γὰρ ἐκ τοῦ δήμου, αὐτῷ μὲν, τῶν τε ἡλικιωτῶν πλέον ἔχειν, καὶ τῶν πρεσβυτέρων μὴ ἐλαττοῦσθαι· τοῖς δ' αὐτοῦ ἐχθροῖς, τοιούτοις δοκεῖν εἶναι, οἵοις δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους· αὐτοὺς δὲ μόνους λειφθέντας, δι' αὐτὸ τοῦτο ἀγαπᾶσθαι ὑπὸ τῶν πολιτῶν, ὅτι ἑτέροις βελτίοσιν οὐκ εἶχον χρῆσθαι.* Verba haec, et proxime ſuperiora quae hic non repetii, ſic a me Latine vertuntur: *Negarunt eiusmodi ciuem, qualis Alcibiades fuiſſet, vllam habuiſſe cauſ-*

ſam,

ſam, cur nouas res moliri, et ſtatum ciuitatis mutare vellet. Nam populum quidem et illi hoc tribuiſſe, vt aequalibus anteferretur, maioribus natu non poſthaberetur: et de inimicis eius ita exiſtimaſſe, illos eſſe tales, qui potentiam in ciuitate adepti euertere optimum quemque poſſent: ceterum poſteaquam in republica iſti iam ſoli relicti fuiſſent, neceſſario iis ciues contentos fuiſſe, meliorum ducum et moderatorum inopia. Ecquid hic deeſt? Nihil. Eſtne idonea iſta ratio, quare Alcibiades propter ſuos inimicos rerum nouarum cupidus eſſe non debuerit, quod populus de illis ita iudicabat, eos tam improbos eſſe, qui dominatu quaeſito perdere optimum quemque poſſent? Eſt vero: nam populus ita iudicans, poſitam in eo publicam ſalutem eſſe intelligebat, vt Alcibiadi potius quam illis faueret, neque vllo in eum ficto crimine moueretur. Numquid in ceteris verbis adhuc reliquum eſt eius prauitatis et deformitatis, quam gignit ſententia vel nihil ad rem pertinens, vel male connexa? Vacant ea deformitate: nam inde ab his verbis, αὐτοὺς δὲ μόνους λειφθέντας, altera ſequitur periodi pars, quae illi primae, ὑπάρχειν μὲν γὰρ ἐκ τοῦ δήμου, oppoſita eſt, vt ex ipſis in vtraque adhibitis particulis, in priore μὲν, in poſteriore δὲ, manifeſto arguitur. Quoniam enim cum eo quod erat dictum, Alcibiadis inimicos populo viſos eſſe tales et tales, illud pugnare videbatur, quod iidem homines tamen poſtea ciuibus non improbati fuerunt: vt ea pugna remoueretur, allata haec ratio eſt, ciues ideo illis contentos eſſe debuiſſe, quod ii ſoli principes et duces reliqui fuiſſent,

ſent, quippe melioribus omnibus partim ſublatis, partim refugientibus a capeſſenda republica. Percuratus, eſt igitur locus, et quod malum in eo poſt medici peritiſſimi tractationem adhuc reſidebat, id quatuor illorum vocabulorum exemtio penitus expulit [12]).

Quam

12) Praeclarum in hac loci Xenophontei cenſura exemplar eſt acuminis et ſubtilitatis interpretandi, quod etiam atque etiam intueri quemque velim, et ad aemulationem transferre. Duae, tres disputationes tales mirificam vim habere poſſunt ad ingenium, praeſertim iuuenile, acuendum alendumque. De me quidem vere hoc profiteor ac profiteri debeo, ratiocinandi ſeueritatem atque iudicii grauitatem, quae in illo Viro erat, et quam eius omnes ſermones ſpirabant, ad has litteras tractandas mihi longe plus profuiſſe, quam multorum aliorum verboſiſſimas disquiſitiones. Sed ipſa illa Xenophontis emendatio ſaepe mihi eiusmodi viſa eſt, vt mirarer eam homini tam circumſpecto, tam timido, tantopere placere potuiſſe. Inprimis illud me pungebat, quod videre non poſſem, vnde tandem aut quo gloſſatoris conſilio nobis iſta quatuor verba in hanc ſedem potuiſſent inferri. Videbar itaque textum leniori quodam remedio ſanare, ſic ſcribendo: οἵοις περ πρότερον δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους, ὕστερον δὲ αὐτοὺς μόνους λειφθέντας etc. Ita ſaepius Graeci, πρότερον· ὕστερον δὲ: *primum* ſ. *primo tempore; mox* ſ. *ſequenti tempore:* nec ac prius illud adiecto μὲν vbique opus eſt. Iam dicuntur *Alcibiadis inimici primum potentia quaeſita abuti conſueuiſſe ad optimatem quemque euertendum, vt poſtea ciuitas, melioribus ducibus ſuis orbata, non poſſet non contenta eſſe iſtis ſolis relictis.* Sententia

prorſus

Quam autem hic locus ita correctus nominis *οἷος* constructionem offert, ea non est ad illam rationem de qua supra diximus, exigenda. Nam illa ratio valet duntaxat, si nomen *οἷος* primam suam et propriam significationem habet, *qualis*. Ea significatione id nomen semper necessario debet poni eo casu, quem verbum adiunctum regit, siue positum illud, siue subaudiendum relictum: qua ex caussa vtrumque horum aeque fieri potest, et vt conueniat et vt non conueniat is casus nominis *οἷος* cum casu praecedentis nominis *τοιοῦτος*, positi vel subintellecti. Homerus *Od.* 1, 370. *καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν ἀοιδοῦ Τοιοῦδ', οἷος ὅδ' ἐστί.* Xenophon *M. S.* 2, 1. §. 15. *τῶν πολιτῶν πάντα ἥττων ὤν, καὶ τοιοῦτος, οἵοις μάλιστα ἐπιτίθενται οἱ βουλόμενοι ἀδικεῖν.* Idem *C. P.* 2, 2. §. 23. *ἐγὼ γιγνώσκω, τοὺς τοιούτους ἀνθρώπους, οἷον καὶ νῦν ὅδε λέγει, . . . ἐξαιρετέους εἶναι ἐκ τῆς στρατιᾶς.* Huius generis erant illa superiora, *τὸν οἷός περ αὐτός· τοίους οἷον Πειρίθοον· οἵῳ σοὶ ἀνδρί.* Non etiam valet illa ratio, si nomen *οἷος* accipitur hac translata significatione, *qui velit, qui possit, qui soleat, qui ad eam rem qua de re agitur, sit procliuis, paratus, intentus.* Hac significatione id nomen semper et cum

prorsus eadem manet; sed duobus fulcris suo repositis loco, facilius decurrit et gratius. Hanc coniecturam quum Reizio olim proposuissem in familiari sermone, etsi valde tenax erat sententiae, quam semel probauerat, ita tamen amplexus est meam, vt deinde suam illam audacem et *νεανικὴν* appellaret. *W.*

cum verbo infinitiui modi construitur, et ipsum effertur eo casu, qui erat casus nominis τοιοῦτος, expressi vel taciti. Xenophon *M. S.* 2, 1. §. 15. ἢ διότι καὶ δοῦλος ἂν οἴει τοιοῦτος εἶναι, οἷος μηδενὶ δεσπότῃ λυσιτελεῖν[13]; Ibidem 2, 6. §. 37. Σὺ μὲν ἄρα τοιοῦτός μοι φίλος εἶ, ὦ Σώκρατες, οἷος . . . συλλαμβάνειν μοι. Plato *Crit.* c. 6. pr. ὡς ἐγὼ οὐ μόνον νῦν, ἀλλὰ καὶ ἀεὶ τοιοῦτος, οἷος τῶν

13) Reiskius hic scribi volebat, λυσιτελεῖ, vel λυσιτελοίη, et id probabat Ernestius. Hi duo tanti viri non, vt visum nonnemini est, ignorabant, οἷος ea de qua loquimur significatione poni cum verbo infinitiui modi: sed iudicabant, satis hoc loco esse illam huius nominis primam et propriam significationem: qua si accipitur, non potest vtique aliter construi, quam cum verbo finito. *An quod etiam seruum eiusmodi te fore putas, quem habere conducat nemini?* Errasse autem viros maximos, certum est. Nam primo sententia haec est aeque bona, si non melior, *seruum eiusmodi, cuius mores* (ignauia et luxuria, quae statim nominantur) *ipsum nullius domini rationibus aptum reddant?* Sed hoc argumentum non est ita euidens. Illud rem perimit, quod post οἷος, *qualis*, inferunt Graeci particulam οὐ negatiuam; post οἷος, *qui velit, possit, soleat*, μὴ prohibitiuam. Atqui Xenophon scripsit, οἷος μηδενὶ δεσπότῃ, non, οἷος οὐδενὶ δεσπότῃ. Ergo nec verbum finitum, λυσιτελεῖ, sequi potest: sequi debebat verbum infinitum, λυσιτελεῖν. [Etiam ad Xen. de Venat. c. 6. §. 20. turpiter fallitur, non intellecto discrimine hoc, defendens lectionem vulgatam, οὐ πάλιν, contra Leunclauium qui vult legi τοὔμπαλιν.] REIZ. *in marg.*

τῶν ἐμῶν μηδενὶ ἄλλῳ πείθεσθαι ἢ τῷ λόγῳ, ὃς ἄν μοὶ λογιζομένῳ βέλτιστος φαίνηται. Demosthenes *Olynth. sec.* 23, 5. ἀνδρὸς οὐδαμῶς οἵου τε ψεύδεσθαι. (Turbat me hic, fateor, haec particula τε. An ea per librarii lapsum ex nomine τι est orta?) Xenophon *M. S.* 3, 11. §. 1. Γυναικὸς δέ ποτε οὔσης ἐν τῇ πόλει καλῆς, . . . καὶ οἵας συνεῖναι τῷ πείθοντι. Lucianus *Hermot.* c. 76. εἴ τινι ἐντετύχηκας Στωϊκῷ τοιούτῳ, . . . οἵῳ μήτε λυπεῖσθαι, μήτ᾽ ὀργίζεσθαι. Rursus Xenophon *M. S.* 1, 4. §. 12. μόνην τὴν τῶν ἀνθρώπων (γλῶτταν) ἐποίησαν (οἱ θεοὶ) οἵαν . . . ἀρθροῦν τε τὴν φωνὴν, καὶ σημαίνειν πάντα ἀλλήλοις ἃ βουλόμεθα. Ibidem 4, 6. §. 11. Κακοὺς δὲ ἄρα (νομίζεις) τοὺς οἵους τούτοις κακῶς χρῆσθαι; Locus denique ob intercedens participium simillimus et maxime geminus illi Xenophonteo, quem supra correximus et exposuimus, hic est Demosthenis *Olynth. sec.* 23, 14. λοιποὺς δὴ περὶ αὐτὸν εἶναι λῃστὰς, καὶ κόλακας, καὶ τοιούτους ἀνθρώπους, οἵους μεθυσθέντας ὀρχεῖσθαι τοιαῦτα, οἷα ἐγὼ νῦν ὀκνῶ πρὸς ὑμᾶς ὀνομάσαι.

In his tot exemplis ii se velim exerceant, qui caussam, quare nomen οἷος hac translata significatione acceptum, construatur cum verbo infinitiui modi, hanc esse credunt, quod in οἷος tacite supplendum sit ὁ θέλων, ὁ δυνάμενος, ὁ εἰωθώς. Belle id procedit in exemplis casus nominatiui, quanquam ne in his quidem omnibus, vt non in eo quod attulimus ex Platonis Critone: at in exemplis casuum obliquorum

obliquorum nequidquam omnis opera sumitur. Loquor de supplemento, quod vnum atque idem in omnes casus aeque conueniat. In singulis enim casibus etiam singula supplementa statuere, ἄτοπον. Et videre tamen vellem, si quis in casu accusatiuo vllum excogitare posset.

Pagina 26 eum vsum articuli praepositiui, quem is praestat in quibus terminationibus a littera τ incipit, succedens vicarius pro postpositiuo, ab Ionibus dixi frequentari, et admissum esse a Pindaro, a Theocrito, et in Choris Tragicorum. Hic duas res annotabimus. 1) Etiam extra Chorum, quanquam raro, Tragicos ita locutos reperias. Aeschylus in *Septem c. Th.* 37. Ἔπεμψα· τοὺς πέποιθα μὴ ματᾶν ὁδῷ [14]). 2) In formulis quibusdam etiam oratio

14) Articulum praepositiuum a Tragicis, etiam in diuerbio, postpositiui vice adhiberi, praefracte negabat Pierson. Verisim. p. 74. Quocum facere videtur Valcken. ad Eurip. Hippol. 525. Illum redarguit Brunckius hoc ipso exemplo Aeschyli, quorum similia tot numero esse, vt emendando scilicet coerceri non possint. Sane in vno Sophocle eius vsus exempla plus triginta nullo labore reperias; quorum potiora designat Brunck. edit. mai. Index v. Ὁ. Conf. Burgess. ad Soph. Oed. C. 910. Verum vnum tamen latuit viris doctissimis, quod egregie Reizius reperit, huic vsui locum non esse videri nisi in iis casibus, qui a littera τ incipiant. Cuius rei rationem equidem videre non possum, auctoritatem video in Sophocli locis omnibus: ac si qui apud quempiam forte occurrerint contrarii, eos, si blandam medelam ferant, etiam mutandos putem. Fallitur ergo Vir elegantiss.

oratio Atticorum prosaica hunc vsum ex antiquitate retinuit. καὶ τὸ μέγιστον. τὸ δὲ μέγιστον. *id quod maximum erat, est, erit.*

Pagina 26 loquor de articulo postpositiuo, in pronominis οὗτος locum substituto. Dixi prosaicis esse in vsu ὅς, et οἵ, post coniunctionem καί. Sum oblitus addere, et ἥ. Quod non semel in vno *Symposio* Platonis occurrit. Vt 187, 9. καὶ ἥ, Οὐκ εὐφημήσεις; ἔφη. Deinde ponere debui exemplum τοῦ οἵ, non Herodoteum, sed quod Atticorum alicuius esset. Xenophon *C. P.* 4, 2. §. 13. καὶ οἵ ἠρώτων, Τί δαί [15]); Sed haec leuia. Quod autem

elegantiss. Burgess. ad Dawes. Misc. crit. p. 500, quum Tragicos censet dixisse ὁ pro ὅς, vt nec illud verum est, quod statim apponit, dixisse eos etiam τῆσδε vel τῆς δὲ pro relatiuo *cuius*. Denique vt vsus iste articuli praepositiui a τ incipientis loco postpositiui nusquam reperitur apud Atticos prosaicos, ita eum ne poetis quidem comicis concessum credo. Omnino iam Toupius recte obseruauit, in admittendo Ionismo longe parciores Comicos esse quam Tragicos. *W.*

15) Sic ibi lego, τί δαί; *quid ita? quare?* non, τί δέ; Mirantur Hyrcanii, se a Cyro iuberi duces itineris praeire, qui nondum fidei obsides illi dederint. Similis est locus 5, 1. §. 7. Τί δαί; ἔφη ὁ νεανίσκος. Miratur nempe Araspes, quid Cyrus dixerit, multo minus velle se visere Pantheam, si talis esset, qualem ille praedicasset. Aliud agebat nouissimus editor, quum in Indice Graecitatis haec scriberet ad hunc locum: Τί δαί; *quid tandem? Hesychius bene explicat,* τί γὰρ ἄλλο; *Nam significatur, Si hoc non est, dic quaeso quid*

tem poſtpoſitiuum articulum, etiam neutro genere a proſaicis in locum pronominis demonſtratiui ſupponi arbitrabar, in ſimili quidem formularum genere, quod habent allata ibi exempla: in eo fallebar. Formulae genus hoc eſt: ὃ δὲ, vel, ὃ τοίνυν, deinde ſequitur nomen vel aduerbium ſuperlatiui gradus, vel tale quod rem ante dictam ſuperlatione augeat: poſtea huic orationis membro adiungitur ſtatim alterum, connexum cum priore per alteram vtram harum duarum particularum ὅτι aut γάρ [16]). Iſocrates

quid ſit. Haec ille. Nemo ei, qui poterit ipſe iudicare, aſſentietur. Nec ſi melius inſpexiſſet Heſychium, eum laudaſſet: nam ipſa Heſychii verba ſatis erant ad errorem iſtum refellendum. Τί δαί; τί γὰρ ἄλλο, ἢ τί γάρ; Κρῆτες· Βοιωτοὶ δὲ, ἐνθάδε· Ἀττικοὶ, διατί δή; Num volumus Xenophontem interpretari, non ex Attica dialecto, ſed ex Cretenſi? — Nequis tamen fallatur, Attici non ſemper, τί δαί; ſic vſurpant: nam ſignificat apud eos haec formula etiam, alibi, *quid porro?* alibi, *quid igitur?* Sed nondum lectus mihi locus, vbi ſententia poſtularet verti, *quidnam aliud?* REIZ. *in marg.*

16) Locus eſt etiam tertio modo, vt vtraque particula per ellipſin omittatur. Id loquendi genus vſitatum eſſe, aliquando negabat Reizius, me contradicente; poſtea quum, ni ego ei auctorem indicarem, me in quoduis pignus vocaſſet, duos indicaui ad Demoſth. Leptin. p. 372. non operoſe quaeſitos. Quare vt plures addi poſſint, non laboro. Tanquam Plat. Symp. XXXV, 3. Καὶ ὃ πάντων θαυμαστότατον, Σωκράτη μεθύοντα οὐδεὶς πώποτε ἑώρακεν ἀνθρώπων. Niſi forte ibi malis,

Isocrates *Paneg.* c. 35. extr. ὃ δὲ πάντων δεινότατον, ὅτι ἄν τις ἴδῃ τοὺς τὴν ἡγεμονίαν ἔχειν ἀξιοῦντας, ἐπὶ μὲν

malis, καὶ, τὸ πάντων θαυμ., qua de forma mox videximus. Quanquam nihil mutant libri, quibus vtor, nec editi, nec scripti: et suspicionem remouent tum alii loci, tum Luciani hic in Eccles. Deor. p. 530. persimilis: καὶ ὃ πάντων γελοιότατον, καὶ τὸν κύνα τῆς Ἠριγόνης καὶ τοῦτον ἀνήγαγεν. *Et quod omnium maxime ridiculum est, etiam canem Erigones ipsum in coelum eduxit Bacchus.*

Istius autem omissionis particularum nunc rationes etiam afferre libet. Nam primum ea modo maiorem vim addit orationi, modo simplicitatem et gratiam dictionis quotidianae, quae omnino vincula legitimae periodi spernit. Vt quum Plato ait alicubi, Πᾶσα πρᾶξις ὧδ' ἔχει· αὐτὴ ἐφ' ἑαυτῆς οὔτε καλὴ, οὔτ' αἰσχρά, ἀλλ' ἐν τῇ πράξει, ὡς ἂν πραχθῇ, τοιοῦτον ἀπέβη — deest post ἔχει altera vtra harum particularum, ὅτι aut γάρ. Vincta oratio erit, si verteris, *Omnis actio ita se habet, vt neque honesta sit per se, neque turpis* etc. Deinde analogia nititur omissio haec etiam propiore. Nam post formulas, Thucydidi et Oratoribus tam celebratas, τεκμήριον δέ, σημεῖον δέ, μαρτύριον δέ, φανερὸν δέ, αἴτιον δέ, infertur quidem fere γάρ, attamen etiam, quamuis rarius, omittitur.

Est denique quartus quidam modus constructionis notandus, trium illorum paullo dissimilis, quum res non certa ponitur, sed sub conditione. Tali in loco non ὅτι sequi potest, sed εἰ, index conditionis. Isocrat. Archid. p. 48. Ὃ δὲ πάντων σχετλιώτατον· εἰ φιλοπονώτατοι δοκοῦντες εἶναι τῶν Ἑλλήνων, ῥαθυμότερον βουλευσόμεθα περὶ τούτων. Quod sic vertes: *Illud autem omnium*

μὲν τοὺς Ἕλληνας μονονουχὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν στρατευομένους, πρὸς δὲ τοὺς βαρβάρους εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον συμμαχίαν πεποιημένους. (In libris editis male, vt puto, scriptum est, ὅτ' ἄν τις, quasi esset ὅτε, non ὅτι. nam ex ὅτε ἄν, vocali ante vocalem abiecta, fit ὅτ' ἄν, quod vsitatius vt compositum scribitur, ὅταν. at ὅτι non admittit apostrophum, nisi aliquando in carmine [17]). Vt apud Homerum *Il.* 1, 243. σὺ δ' ἔνδοθι θυμὸν ἀμύξεις Χωόμενος, ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισας.) ibidem c. 47. ὃ δὲ πάντων καταγελαστότατον, ὅτι τῶν γεγραμμένων ἐν ταῖς ὁμολογίαις τὰ χείριστα τυγχάνομεν διαφυλάττοντες. In *Trapezit.* p. 712. extr. ὃ δὲ πάντων δεινότατον· διεγγυῶντος γὰρ Μενεξένου πρὸς τὸν πολέμαρχον τὸν παῖδα, Πασίων, ὡς ἐλευθέρου ὄντος αὐτοῦ, ἑπτὰ ταλάντων διεγγυήσατο. Et in *Amart.* p. 793. B. ὃ δὲ μέγιστον τεκμήριον, καὶ πρὸς ἅπαντα ἱκανόν· ὅτε γὰρ τὸ ἔγκλημα ἐγένετο, ὀλιγαρχία καθειστήκει. Plane verum est id, quod ego tum suspicabar quidem iam, sed non putabam probabile: omissa et subaudienda esse inter membrum antecedens et consequens haec duo verba,

G 2

omnium indignissimum erit, si, quum ex vniuersis Graecis laborum patientissimi habeamur, segnius de his rebus deliberabimus. Hic de re futura agitur; in ceteris de re praesente vel praeterita. *W.*

17) Conf. Brunck. ad Aristoph. Lys. 611. Vbi quod vere notat, Comicum nusquam detruncare nec ὅτι, nec περί, non minus certum erit, de Atticis aut potius prosaicis omnibus acceptum. *W.*

ba, τοῦτό ἐστι, vel τοῦτο ἦν. Qua posita ellipsi, articulus ὅ, in formulis huius generis, aperte retinet veram suam postpositiui significationem. Ellipsin autem hanc arguit plena oratio Luciani *Piscat.* c. 32. ὃ δὲ μάλιστά μοι δεινὸν, ὦ Φιλοσοφία, κατεφαίνετο, τοῦτο ἦν. οἱ γὰρ ἄνθρωποι, εἴ τινα τούτων ἑώρων πονηρὸν, κ. τ. λ. [18]) — Illae formulae, quas paullo ante memoraui, καὶ τὸ μέγιστον, τὸ δὲ μέγιστον, ab

18) Pertinent huc ea quoque exempla, in quibus nulla est superlatio. Quale hoc est Dionys. Halic. de Comp. Verbb. c. 18. Ὧν δὲ ἕνεκα νῦν ὑπήχθην ταῦτα προειπεῖν· — ταῦτά ἐστιν, ὅτι διὰ τῶν etc. At hic ellipsis ista vix locum habere poterat, si recte sentio. Alia res est in loco Isocr. Areop. p. 118. Κεφάλαιον δὲ τοῦ καλῶς ἀλλήλοις ὁμιλεῖν· αἱ μὲν γὰρ κτήσεις ἀσφαλεῖς ἦσαν οἷσπερ κατὰ τὸ δίκαιον ὑπῆρχον· αἱ δὲ χρήσεις, ἐπίσης κοιναὶ πᾶσι τοῖς δεομένοις τῶν πολιτῶν. Vbi H. Wolfii versio sic refingenda est: *Summum autem argumentum praeclarae illorum inter se consuetudinis illud est, quod et possessiones in tuto erant iis qui* etc. Hic, ni fallor, scribi etiam licuerat, Ὃ δὲ κεφάλαιον — et apponi τοῦτό ἐστι. Sed horum verborum ellipsis adeo consueta est Atticis omnibus, vt exempla Lucianeo isti *Piscat.* c. 32. similia perquam rara esse videantur. Explent illi potius interdum aliis modis eam ellipsin. Vt Plato Menex. p. 241. A. Ὃ δέ μοι δοκεῖ καὶ ἐκείνων κάλλιστον εἶναι, τούτου μνησθήσομαι, ὅτι τὸ ἑξῆς ἔργον τοῖς Μαραθῶνι διεπράξαντο. Vbique eadem in his exemplis omnibus analogia regnat: vt mirer, qui de ista ellipsi dubitare olim potuerit vir excellens, qui veterum vsum loquendi non ex vno alteroue exemplo spectaret, sed totum ex diligenti lectione et comparatione imbibisset. *W.*

ab his de quibus modo sum locutus, ea re differunt, quod in illis neque amplius quidquam addi, nec ellipsis vlla sequi solet. Itaque apud Lysiam in *Epitaphio* p. 92. vbi legimus, τὸ δὲ μέγιστον σημεῖον τοῦ πλήθους, patet corrigendum esse, ὃ δὲ μέγιστον σημεῖον τοῦ πλήθους, quum et addita sint haec verba, σημεῖον τοῦ πλήθους, et inferatur, ἐξὸν γὰρ αὐτῷ χιλίαις ναυσὶ διαβιβάσαι, κ. τ. λ.[19]. Non enim ita inferri potuit, nisi praegressa ellipsi.

Pagina 33 locum Xenophontis *C. P.* 2, 4. §. 23. post alios viros doctos notaui, ob admissum articu-

 li

19) Ita Auger. edidit e cod. Sangerm. Confusio haec saepe videtur in libris facta esse, nisi eam ipsorum scriptorum negligentiae imputandam dicas. Quod ego tamen nolim, praeterquam in paucis, et potius, vbi ὁ legitur pro τὸ, quam vice versa. Tametsi sunt loci plures, qui obstent. Vt apud Polyb. XII. p. 341. Ern. vbi vulgo legitur, τὸ δὲ δὴ πάντων μέγιστον· ἤδη γὰρ — et Exc. Legatt. p. 744. extr. τὸ δὲ μέγιστον σύμπτωμα τῆς πόλεως· καταλέλυται γὰρ etc. Ac ne hunc scriptorem castrensi dictione vsum excipias, confer Isocrat. de Pace p. 206. 2. Ad Phil. p. 340. 10. p. 370. 13. p. 398. 10. et alibi. Xenophontis autem locus, M. S. III, 4, 12, an ad haec referendus sit, dubito. Est ibi, τὸ δὲ μέγιστον, ὅτι οὔτε ἄνευ ἀνθρώπων etc. Structura sic institui potest, vt verba, τὸ δὲ μέγιστον, paullum mutata distinctione, a superioribus apta sint, τὸ δὲ μέγιστον παραπλήσιον ἔχει, ὅτι — h. e. τοῦτο δὲ μέγ. At vel ita lenius fore video, καὶ τὸ μέγιστον. Omnino multorum locorum caussa vellem, vt nupera editio Eduardi omnem dedisset varietatem lectionum, cuius illi copia contigerat. Hic nihil affertur. *W.*

li poſtpoſitiui vſum in partitione ſeu oppoſitione facienda. Eum locum Zeunius, Vir doctiſſimus, et nauam operam Xenophonti praebens, ita exponere ſtudet, vt nos errare oſtendat. Fateor, me non intelligere ipſius disputationem: vtrius noſtrum id culpa fiat, alii iudicabunt. Sed in vna re illum errare, debeo ipſe ostendere. Locus Xenophontis hic eſt: *οὗτοι ἂν σοι, εἴ τισιν ἐντυγχάνοιεν τῶν Ἀρμενίων, οὓς μὲν ἂν συλλαμβάνοντες αὐτῶν κωλύοιεν τῶν ἐξαγγελιῶν, οὓς δὲ μὴ δύναιντο λαμβάνειν, ἀποσοβοῦντες ἂν ἐμποδὼν γίγνοιντο τοῦ μὴ ὁρᾷν αὐτοὺς τὸ ὅλον στράτευμα.* Et quae ad hunc locum a me ſcripta, inciurrerunt in reprehenſionem, haec ſunt: *Prius illud οὓς, inſolitum eſt lectori Xenophontis. Xenophontea oratio eſſet, aut haec, τοὺς μὲν ἂν συλλαμβάνοντες αὐτῶν κωλύοιεν τῶν ἐξαγγελιῶν, aut haec, οὓς μὲν δύναιντο λαμβάνειν αὐτῶν, συλλαμβάνοντες ἂν κωλύοιεν τῶν ἐξαγγελιῶν.* Omnes vident, vt opinor, me loqui de priore duntaxat, non etiam de poſteriore οὓς, de οὓς μὲν, inquam, non de οὓς δέ. At Vir clariſſimus ita ſcribit: *Qui opinantur, οὓς μὲν, οὓς δὲ, hic poni pro τοὺς μὲν, τοὺς δὲ,* alios, alios, *hi Xenophontem ſoloeciſmi reum faciunt.* Deinde me in his eſſe, valde mirari ſe ait. Multo valdius ego miror, in his me ab eo numerari, qui dubitem omnino etiam, an fuerint alii, qui hoc opinarentur.

Pagina 37 de pronomine poſt praepoſitionem omiſſo agens, dixi Atticos ea ellipſi nec in proſa, nec in carmine vti, niſi poſt vnam praepoſitionem *πρός*. Verum vtuntur, in carmine quidem, etiam

poſt

post σύν. Vt in hoc senario Sophocles *Ai. Fl.* 1305. Οὐδ' ἦν ὁ πράσσων ταῦτα· σὺν δ' ἐγὼ παρών. Scholiastes Homericus Lipsiensis ad *Il.* 10, 224. Atticos ait dicere, σὺν δύο, σὺν τρεῖς. Ita si scribitur diuisim, praepositio aduerbiascit, et notat ἅμα, vel ὁμοῦ. Sed Eustathius ad eundem locum, vt composita haec scribit, σύνδυο, σύντρεις, et Atticos ait prius horum ad similitudinem posterioris fecisse. Nempe σύντρεις legitur apud Homerum *Od.* 9, 429. vt etiam ξυνεείκοσι *Od.* 14, 98. At σύνδυο habet Demosthenes *c. Midiam* 564, 22. ὅτε σύνδυο ἦμεν οἱ τριήραρχοι [20]). Sic et συμπλείους Aristoteles *Pol.* 3, 11. extr. ἑκάστου μὲν καὶ ἑνὸς καὶ συμπλειόνων, κρεῖττω· τοῦ δὲ πλήθους, ἥττω. Notissimum autem est, σύμπαντες.

Pagina 42 dixi praepositiones cum verbo compositas, et ab eo diuulsas, accentum suum recipere. Non videntur hoc olim omnes Grammatici statuisse, aut certe non ita simpliciter. Nam Villoisonius in *Diatriba* p. 130. memorat se obseruasse in illo eximio codice Homerico S. Marci, quem ex antiquissimis exemplaribus diligentissime descriptum ait, et ex

 quo

20) Sic alia plura numeralia recepisse hanc praepositionem non dubito, quamuis hodie non supersint cuiusque talis iuncturae exempla. Plura certe adhuc colligi possunt. Ex Eurip. Troad. 1076. συνδώδεκα. E Dione Cass. LIII, 12. σύνδυο καὶ σύντρια τὰ ἔθνη. Pro Attico enim Dionem citare malui, quam Vlpianum ad Demosth. c. Mid. p. 681. G. Etiam σύμπαντε memini me legere; vbi, nescio. *W.*

quo correctam, optimisque veterum scholiis nouis auctam Homeri editionem, ab illo promissam, impatienter exspectamus, praepositiones a verbo suo disiunctas, carere accentu *fere semper*, et recte quidem, ipsius iudicio: vt in Πρίν γ' απο πατρὶ φίλῳ δόμεναι. (*Il.* 1, 98.) Accentus enim absentiam indicio esse, pertinere praepositionem ad verbum, vt sit ἀποδόμεναι.

Pag. 43 poterit ad finem paragraphi quintae iis dictionibus, quae propter mutatam significationem vehementius pronuntiandae sunt, etiam haec addi:

g) Particula κἂν, si τὸ ἂν suam retinet significationem, h. e. si actu sublato potentiam supponit. Κἂν ἐξέπραξεν, εἰ κατημέλησ' ἐγώ. Sophocles *Ai. Fl.* 45. Vehementiore spiritu hanc particulam hac significatione proferri, Deuarius monuit: remisso autem spiritu, si τὸ ἂν pro ἐὰν accipiatur. κἂν ἀναγκασθῇ που συντυχεῖν, ἀπεπήδησεν εὐθέως, μή τις αὐτὸν ἴδῃ λαλοῦντα ἐμοί. Demosthenes περὶ παραπρ. 411, 14.

Pagina 52 vnius praeter Apollonium Characis a me repertam esse dixi praeceptionem de accentu nominis τις interrogatiui. Exciderat mihi e memoria locus, in schedis meis iam tum notatus, Choerobosci, vel alius cuiusdam veteris Grammatici, quem in Hortis Adonidis legeram. Is p. 230. recta extrema et versa prima, sic scribit: Κανὼν ἐστιν ὁ λέγων, ὅτι πᾶσα λέξις ὀξύτονος πολλάκις ἐν τῇ συνεπείᾳ κοιμίζει τὴν ὀξεῖαν, χωρὶς τοῦ τίς· ἐπεὶ τοῦτο φυλάσσει τὴν ὀξεῖαν.

PROSODIAE

PROSODIAE GRAECAE ACCENTVS INCLINATIO

PARS II.

A. 1782. d. 28. Aug.

Duos libros in praefatione ad primam partem dixi a me frustra quaesitos esse: Collectionem Aldinam quorundam scriptorum Grammaticorum, editam anno MDXII, in qua comprehensus est Herodiani libellus de partibus orationis Graecae inclinabilibus: et *Dictionarium Graecolatinum et Latinograecum*, ex Aldi et Asulani officina vulgatum anno MDXXIIII, in cuius Dictionarii accessionibus praeter alia etiam idem Herodiani fragmentum, aliorumque veterum Grammaticorum eiusdem argumenti scriptiunculae offeruntur.

Horum librorum priorem nuper in Bibliotheca Paullina repertum quum inspexissem,

vidi Herodianum ibi iam ab ipſo Aldo melius editum eſſe, quam antea in Hortis Adonidis, niſi quod rurſus, vt fit, irrepſerant aliquot alii noui errores. Boninius autem ſic Aldum ſequitur, vt eius errata fere omnia retineat, et ſua in cumulum addat.

Poſterior ſeruatur in Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi, vt mihi ſignificauit Illuſtris Baro, Aloyſius Emericus Locella, Conſiliarius Aulae Caeſareae, Librorumque Cenſor, Vir litteris Graecis mirabiliter deditus, earumque ſtudii apud alios adiuuandi cupidiſſimus: qui vltro mihi ſe paratum eſſe ostendit, librum iſtum inſpicere atque conferre. Quo nomine illi a me gratia et hoc loco habetur, et alias habenda erit. Idem Vir illuſtris monuit me, librum iſtum prodiiſſe anno XXIIII ſaeculi decimi ſexti, non, vt ego ſcripſeram, ſecutus Fabricium, anno XXIII. — —

IX. *Secundus*

IX. *Secundus modus, retractio tenoris: eius genera nouem.*

Alter modus inclinandi tenoris, est eius retractio ex vltima syllaba in secundam vel tertiam a fine. Graeci vocant ἀναβιβασμόν, vel μετάθεσιν, vel ἀναδρομήν, vel τὸ μεταπίπτον, τὸ ἐναλλασσόμενον τοῦ τόνου. Retractionis autem genera totidem ponimus, quot sunt eius caussae. Fit enim (1) aut ob dialectum; (2) aut ob compositionem dictionis; (3) aut ob dictionis mutatam significationem; (4) aut ob nominis adiectiui mutationem in proprium; (5) aut ob litterae vocalis in quam dictio exibat, amissionem; (6) aut ob litterae consonantis in quam dictio exibat, aut amissionem, aut mutationem; aut in disyllaba praepositione ob eius (7) aut inuersionem, (8) aut variatam significationem; (9) aut in pronominum primae ac secundae personae casibus obliquis pluralibus, ob caussam quae suo loco dicetur.

X. *Primum genus: ob dialectum.*

Dialectus Aeolica omnem dictionem vna syllaba longiorem, et a ceteris Graecis acui solitam, grauat, exceptis praepositionibus et coniunctionibus. Ἀχιλλεύς, Ἀχίλλευς. βουλή, βόλλα. βωμός, βῶμος. ποταμός, πόταμος. καλός, κάλος. εἰρηκώς, εἰρήκων. ἐγώ, ἔγων. αὐτός, αὖτος. Immo et in dictionibus circumflexis tenor a fine retrahitur. φιλεῖν,

λεῖν, φίλην. φιλῶ, φίλημι. κερῶ, κέρσω. ἡμεῖς, ἄμμες. αὐτοῦ, αὔτου. Propter confuetudinem hanc Aeolenfes a Grammaticis dicti funt βαρυνταί.

Latinam linguam, notum eft, fere totam ex Graeca ductam effe. Plus autem habet ea fimilitudinis cum Aeolifmo, quam cum Ionifmo: quae duae folae antiquitus Graecorum dialecti erant. Vna harum fimilitudinum eft, quod nec Latini vnquam vllius difyllabae aut polyfyllabae dictionis vltimam fyllabam acuerunt. Itaque rifi, quum legerem quae Olympiodorus in Ariftotelis Meteora p. 27. fcripfit, relata illa et merito reprehenfa in Schediafmate Bentleiano de Metris Terentianis: Καθόλου δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνουσι, διὰ τὸν κόμπον. (propter faftum et grandiloquentiam.) ὅθεν Ὑπερηνορέοντες (feroces et fuperbi) ἐκλήθησαν ὑπὸ τῶν ποιητῶν.

Etiam Atticos χαίρειν τῇ βαρύτητι fcribit Ammonius in Πόνηρον, p. 117. Quod ita intelligendum eft, certa quaedam vocabula duntaxat, quae a ceteris Graecis acuebantur, ab Atticis grauari folita fuiffe. Vt, πονηρός, πόνηρος. μοχθηρός, μόχθηρος. πηρός, πῆρος. μωρός, μῶρος. καταντές, κάταντες. ἀληθές, ἄληθες, per interrogationem. ἀδελφέ, ἄδελφε. Θεσσαλή, Θεττάλη. Sicut rurfus quaedam acuebantur ab Atticis, quae a ceteris grauabantur. Vt, εἶπε, ἔλθε, εὗρε, ἴδε, λάβε· εἰπέ, ἐλθέ, εὑρέ, ἰδέ, λαβέ. ὅδε, ὁδί. τοιόνδε, τοιονδί. τοῦτο, τουτοΐ. οὕτως, οὑτωσί.

Refero in claſſem hanc, ſiqua vocabula vetere dialecto vltimam acuentia, eam noua dialecto gravarunt. Vt antiqui dixere, ταχυτής, βραδυτής, et ſimilia; recentiores, ταχύτης, βραδύτης.

XI. *Alterum genus: ob compoſitionem dictionis.*

Duarum dictionum in vnam compoſitam coeuntium, prior tenorem ſuum perdit, poſterior autem retrahit, vel etiam in priorem remittit. φίλος et ἀληθής, φιλαλήθης. ἀγαθός, φιλάγαθος. καλός, φιλόκαλος. Nec ſolum dictio acuta, ſed etiam penacuta, et inflexa, et peninflexa, ſolent acutum remittere aut retrahere. ἵππος, φίλιππος. παῖς, φιλόπαις. μῦθος, φιλόμυθος. ἑταῖρος, φιλέταιρος. Non tamen ſemper Graeci tenorem in compoſitione retrahunt. ἀοιδός, φιλαοιδός. λόγος, φιλολόγος. τοιοῦτος, φιλοτοιοῦτος [1]). Qua in re quam Graecis inconſtantiam recentiores quidam Grammatici obiecerunt,

1) Vocabulum, fictum fortaſſe ab Ariſtotele, certe huic vni vſurpatum, in Ethic. Nicom. I. p. II. C. Duu. Ἑκάστῳ δ᾽ ἐστὶν ἡδὺ πρὸς ὃ λέγεται φιλοτοιοῦτος· οἷον ἵππος μὲν τῷ φιλίππῳ, θέαμα δὲ τῷ φιλοθεώρῳ· τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ τὰ δίκαια τῷ φιλοδικαίῳ, καὶ ὅλως τὰ κατ᾽ ἀρετὴν τῷ φιλαρέτῳ. — τοῖς φιλοκάλοις ἐστὶν ἡδέα τὰ φύσει ἡδέα. Ceterum φίλος et ſimilia alia, in compoſitis praepoſita, habent fere vim actiuam; poſtpoſita, paſſiuam. φιλόχρηστος, χρηστόφιλος. φιλοπόνηρος, πονηρόφιλος. φίλανδρος, ἀνδρόφιλος. φιλόδημος, δημόφιλος. Τιμόθεος, θεότιμος. Iccirco in nonnullis non eſt locus inuerſioni v. c. φιλοπόλεμος, φιλοκίνδυνος etc. etc. *W*.

obiecerunt, ea non ita magna eſt. Obſeruant enim ſatis conſtanter certas regulas, et in earum conflictu potiorem habent, quae fortior erat. Itaque ſi quando a regula disceſſum eſt in tenore alicuius vocabuli, numerant id Grammatici veteres inter σεσημειωμένα. Regulas autem illas exponam alio tempore, ne nunc longior ſim.

XII. *Tertium genus: ob dictionis mutatam ſignificationem.*

Significatione mutata ex actiua in paſſiuam, dictio ex acuta fit grauis. τομός, ὁ τέμνων σίδηρος· τόμος, ὁ τεμνόμενος χάρτης. φορός, ἄνεμος ὁ φέρων τὴν ναῦν· φόρος, ὁ φερόμενος. — Haec mutatio ſignificationis ex actiua in paſſiuam, interdum obſcurior eſt. συνεργός, ὁ βοηθός· σύνεργος, ὁ σύντεχνος. τριετές, ἐπὶ ἡλικίας· τρίετες, ἐπὶ χρόνου. *Puer triennis,* qui trium annorum aetatem habet, qui egit annos tres: *triennium* vero, tempus ipſum trium annorum quod actum eſt. Sic in Homero Ptolemaeus Aſcalonita, vt Ammonius refert et probat, haec et ſimilia vocabula ab ἔτος compoſita, pro ſignificationis diuerſitate accentu voluit diſtingui. Alii Homerum et antiquiores Atticos volunt ſemper haec nomina grauaſſe; recentiores autem, ſemper acuiſſe. Haec de accentu nominum ab ἔτος compoſitorum controuerſia quae inter Grammaticos erat, cauſſa fuit, vt mihi videtur, quare in vno eodemque ſcriptore, vt in Platone, iſta nomina, etiam nullo intercedente ſignificationis discrimine,

discrimine, modo acuta, modo grauata hodie legantur. Quod Grammaticus Marchicus ait, nomina haec acui, si genitiuum in έος habeant; grauari autem, si genitiuum habeant in ου, et sint primae declinationis: vnde id habeat, et an aliquatenus hoc verum sit, nescio: nam ita vniuerse dictum, apertissime falsum est [z]).

Aliae dictiones, quae acutae significant actionem, vel rem aut personam agentem, grauatae significant locum vel tempus actionis. τροχός, ὁ τρέχων, ὁ περιφερής· τρόχος, ὁ τρεχόμενος, ὁ δρόμος, ὁ τόπος ἐν ᾧ τρέχουσι. ἁρπαγή, raptus, actio rapiendi: ἁρπάγη, locus in quo Ganymedes raptus est; item instrumentum aduncum, quo vtuntur ad aliquid corripiendum vel extrahendum, *lupus*, *harpago*. ἀροτός, aratio: ἄροτος, arationis fructus, agri prouentus, collectio frugum, et earum colligendarum tempus. ἀμητός, messis: ἄμητος, messis tempus. τρυγητός, vindemia: τρύγητος, vindemiae tempus. σκαφητός, fossio: σκάφητος, fossionis tempus. In his et similibus non puto Grammaticos olim inter se dissensisse: verum tanta librariorum negligentia fuit, vt illi iam non modo inter se dissensisse videantur, sed ne constantes quidem omnes in sua quisque sententia permansisse. Inspiciat modo aliquis Pollucem, Ammonium,

z) Quatenus id verum sit, discas ex Alex. Scoto p. 278, 30. vnde Marchicus etiam videtur hausisse. REIZ. *in marg.*

nium, Hesychium, Etymologum, Suidam, Eustathium. Vni Moschopulo ad Hesiodi Ἔργα v. 388. non est visa haec significationis diuersitas caussa idonea esse, propter quam ista vocabula modo acuerentur, modo grauarentur: ipse omnia ea vult in vtraque harum significationum acui. Forsitan igitur etiam hoc librariis imputandum sit, quod, vt Sylburgius obseruat, σπορητός, et ἀλοητός, oxytona semper scribuntur, non modo vbi significant actionem serendi et triturandi, sed etiam vbi sationis et triturae tempus. Xenophon *Oecon.* 7. §. 20. καὶ γὰρ νεατὸς, καὶ σπόρος, καὶ φυτεία, καὶ νομὴ, ὑπαίθρια ταῦτα πάντα ἔργα ἐστίν. Ita Stephanus in Thesauro legit, νεατός, acuta vltima, et νομή, singulari numero: alii, νέατος, acuentes antepenultimam, et νομαί, numero plurali. Patet ex iis quae diximus, quum in loco Xenophontis de opere nouationis agri sermo sit, non de tempore, Stephanum legere ibi recte, νεατός, vltima acuta.

Sed ob quas rationes ceterarum omnium dictionum significatio mutetur, quarum significationis mutatio accentum ipsarum ex vltima retrahat, eas rationes colligere, atque in genera certa redigere, nondum sum conatus. Frequentissimam rationem similitudinis esse, facile iudicari potest. οὐρός, *navale:* οὖρος, *ventus secundus.* ὁρμός, *monile:* ὅρμος, *portus, nauium statio, machinatio phalangarum.* νομός, apud Homerum, *locus vbi pecora pascuntur,* et apud recentiores, *regio, tribus, praefectura:* νόμος, *lex, mos, institutum.* δοκός, *trabs, tignum:* δόκος,

δόκος, *opinio, exſpectatio, animi ſuspenſio.* *βροτός*, *mortalis:* *βρότος*, *inquinatio a cruore.* *βιός*, *arcus ad ſagittandum:* *βίος*, *vita.* *φιλητής*, *amator:* *φιλήτης*, *fur.* *μισητή*, *odioſa:* *μισήτη*, *libidinoſa.* *κονίς*, *κονίδος*, *puluis:* *κόνις*, *κόνιος*, *lendes aut furfures capitis.* *παρειαί*, *αἱ τοῦ ἀνθρώπου· παρεῖαι*, *ὄφεις τινὲς μετέωρα τὰ παρεῖα ἔχοντες.* *σπαθή*, *ναυτικὸν ξύλον· σπάθη*, *ξίφος.* *σταφυλή*, *κιονίς*, *καὶ καρπός*, *vua*, oris columella, et fructus vitis: *σταφύλη*, *τεκτονικὸν σκεῦος*, *ἡ καθιεμένη μόλυβδος παρὰ τοῖς ἀρχιτέκτοσι*, *libella fabrilis, perpendiculum.*

In his paucis exemplis res quatuor inſunt, quas obſeruemus. 1) Dictiones quaedam huius claſſis pro ſignificationis diuerſitate ab aliis accentu diſtinguuntur, ab aliis in alia earum ſignificatione. Sic *σταφυλή*, *ὁ καρπός*, *ἡ ὀπώρα*, quum acueretur a Graecis, iubente analogia grauari, Ptolemaeus Aſcalonita ſtuduit eam conſuetudinem Graecorum defendere, quaſi minime pugnantem cum analogia: ſed Heraclides, praeceptor Ammonii, eam damnat, Ptolemaei rationibus confutatis. Non igitur, inquit Ammonius, accedens magiſtri ſententiae, per analogiam hoc nomen acuere licet, nec vt ſignificatio eius diuerſa eſt, ita etiam tenor eſt diuerſus. Tangit controuerſiam hanc Euſtathius ad *Il.* 2, 765. (p. 258. l. 29—36. edit. Baſ.) Quem Euſtathii locum obſcurum et difficilem hic ſat habeo indicaſſe. — *ὁρμός*, *κόσμος γυναικεῖος*, vt Euſtathius ad *Od.* 15, 459. (585, 25.) memorat, *ὀξύνεται παρά*

τισι τῶν ἐς ὕστερον (eorum qui poſt Homeri aetatem fuerunt) . . . πρὸς διαστολὴν τοῦ κατὰ τὸν λιμένα (ὅρμου). Ergo non omnes ita ſcribebant, nec ita hodie aut in Homero, aut alibi ſcriptum videmus. Et iterum idem ad *Od.* 24, 464. (843, 36.) vbi enumerat multa nomina, tenorem pro discrimine ſignificationis mutantia: ὅρμος μὲν, λιμήν· ὁρμὸς δὲ, περιτραχήλιος κόσμος. Ipſe tamen rurſus alibi fere ſemper hoc nomen, quum de monili accipitur, ſcribere ſolet βαρυτόνως. Apud Heſychium nomen hoc ſignificans ligulas vel corrigias calceamentorum, acuitur: ὁρμοί· ἱμάντες ὑποδημάτων. 2) Inter vocabula diuerſum tenorem et ſignificatum habentia, ſunt et quae propter ipſorum etymologiam diuerſam non proprie huc pertineant. Vt φιλητής, *amator*, a φιλέω φιλῶ· at φιλήτης, *fur*[3]), παρὰ τὸ ὑφελεῖν, οἱονεὶ ὑφειλήτης, διὰ διφθόγγου (τῆς ει), καὶ ἀφαιρέσει τοῦ υ, καὶ ἀπελεύσει τοῦ ε, φιλήτης, διὰ τοῦ ι. ὡς ἂν τῷ σημαινομένῳ τοῦ ὑφειλήτου συνεξομοιωθῇ καὶ ἡ γραφὴ τῆς λέξεως, ὑποκλαπεῖσά τι τῆς διφθόγγου, ὡς καὶ τοῦτο δοκεῖ τοῖς παλαιοῖς (σχολιασταῖς Ἡσιόδου). Euſtathius ad *Il.* 2, 154. (147, 24.) Et ad *Od.* 20, 185. (730, 35.) — In iis vocabulis hoc magis clarum eſt, quae ſunt compoſita. Vt ὑψιπέτης et ὑψιπέτης,

3) Vox antiqua et poetica, ſerius Aegyptiis graece loquentibus frequentata. Seneca Ep. 51. extr. *Voluptates praecipue exturba, et inuiſiſſimas habe. Latronum more, quos φιλήτας Aegyptii vocant, in hoc nos amplectuntur, vt ſtrangulent. W.*

τῆς, alterum a *πέτεσθαι*, *volare*, alterum a *πεσεῖν*, *cadere.* *τὰ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ πέτεσθαι γινόμενα, βαρύνονται· οἷον, ἀετὸς ὑψιπέτης, καὶ τὰ τοιαῦτα. τὰ δὲ ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, ὀξύνονται· οἷον, παλλάδιον ὑψιπετές.* Eustathius ad *Od.* 5, 27. (203, 40.) Sic *ἀναγωγός*, *ὀξύτονον*, decompositum ex *ἀνάγομαι*, *qui vim habet educendi, extrahendi, erigendi, euehendi*; *ἀνάγωγος*, *προπαροξύτονον*, compositum ex *α* priuatiuo et *ἀγωγή*, *qui caruit disciplina, qui male institutus est, indoctus, petulans, contumax.* 3) Non semper clarum est, vtra dictio alteram antecedat, acuta grauem, an grauis acutam. Vt, *οὐρός*, *nauale*, et *οὖρος*, *ventus secundus*: vtrum horum altero prius est dictum? 4) In multis apertum est, dictionem acutam a graui ductam, et ea posteriorem esse. Vt *βιός*, *arcus*, ductum est aut a *βία*, *vis*, aut a *βίος*, *vita.* Eustathius ad *Il.* 1, 49. (31, 4.) *βιός, τὸ τόξον, ἢ ἀπὸ τῆς βίας γίνεται, κατὰ τοὺς παλαιούς, ὅ ἐστι δυνάμεως· βίας γὰρ χρεία εἰς τὴν τόξου τάσιν· ἢ παρὰ τὸν βίον· δι' αὐτοῦ γὰρ δοκοῦσιν οἱ παλαιοὶ τὰ εἰς τὸ ζῆν πορίζεσθαι.* Cogitemus Philoctetem Sophocleum, in Lemno expositum, et quae is arcu et sagittis a Neoptolemo spoliatus, ad eum dicit: inter alia v. 954. *Ἀπεστέρηκας τὸν βίον, τὰ τόξ' ἑλών.* — Hic non praeteribo nomina illa disyllaba, exeuntia et in *ος*, *βαρύτονον*, vt masculina, et in *η*, *ὀξύτονον*, vt feminina, sed carentia neutro genere: quorum terminatio masculina grauis antecessit femininam acutam. De his optime omnium Eustathius ad *Il.* 1, 240. (71, 11.) *Ποθὴ δέ ἐστιν ὁ πόθος, καὶ*

 ἀπ'

ἀπ' αὐτοῦ παρήχθη· ὡς χόλος χολή. ὀξύνεται δὲ τὸ ποθή, κανόνι τοιούτῳ· Τὰ εἰς ος δισύλλαβα τῷ ο παραληγόμενα, βαρύτονα, ἀπαράσχημάτιστα οὐδετέροις, ἐὰν ποιῶσι θηλυκὸν, ὀξύτονον αὐτὸ ποιοῦσι. στρόφος, στροφή. νόμος, νομή. (at id quidem non a νόμος ego duxerim, sed a νομός.) ῥόος, ῥοή. πλόκος, πλοκή. οὕτω καὶ πόθος ποθή. σεσημείωται τὸ κόρη, ἐκ τοῦ κόρος ὁ νέος. (Grammatici notarunt hoc nomen, vt a regula discedens.) ἐντάσσεται δὲ τῷ τοιούτῳ κανόνι καὶ ἡ βιοτή, ἐκ τοῦ βίοτος, εἰ καὶ τρισυλλαβεῖ. Sed multa nomina huius generis habent aliam significationem vt masculina, aliam vt feminina. E. c. βόλος, *iactus*, et proprie *iactus retis*: βολή, *iactus*, et praecipue *ictus feriens*; ἡ ἄφεσις τοῦ βέλους, καὶ τὸ τραῦμα τὸ ἀπὸ τοῦ βέλους. φόνος, *caedes*, *caedis perpetratio*: φονή, *locus vbi caedes peracta*, *vel strages data est.* Quamquam Homerus quidem istius posterioris vocabuli vtramque formam solet vtraque significatione adhibere.

XIII. *Quartum genus: ob nominis adiectiui aut appellatiui mutationem in proprium.*

Nomina propria hominum et locorum, facta ex appellatiuis aut adiectiuis, vltimam acutam habentibus, grauantur. ἀκεστής· Ἀκέστης. διογενής· Διογένης. εὐμενής· Εὐμένης. εὐπειθής· Εὐπείθης. ἡ ἰσχύς· ὁ Ἴσχυς, Elati filius. κακός· Κάκος. νικητής· Νικήτης. αἰπύ, *difficile*, *arduum*: Αἶπυ, Messeniae vrbs. ῥιπή, *flatus*, *impetus*: Ῥίπη, vrbs Arcadica.

cadica. Meretur conferri Euſtathius ad *Il.* 1, 591. (118, 38.) et maxime ad *Od.* 24, 464. (843, 25—44 [4].) In poſteriore loco is errat, canem Geryonis ab Hercule interemtum appellans Ὄρθον, qui erat Ὀρθρος, vt vocatur ab Apollodoro *Bibl.* 2, 4. §. 10. Sed quam regulam dedimus ex Euſtathio, ad eam corrigi poteſt et debet accentus in multis vrbium et locorum nominibus, apud Stephanum Byzantinum contra illam cum acuto in vltima ſcriptis. Vt pro Ἀφεταί, Ἀφέται, pro Δειρή, Δείρη ſcribendum eſt. Ἀφέται quidem, βαρυτονούμενον, legitur etiam in Herodoto, in Apollonio Rhodio, et alibi.

Participia in μενος quando nomina propria fiunt, acuuntur. Ἰαμενός. Κλαζομεναί. Σωζομενός. Τισαμενός. Ἀκουμενός, per ſyncopen τοῦ ο. Abeunt quaedam, neſcio quare, ab hac regula, vt Κλύμενος, Κλυμένη, (pro Κλυόμενος, Κλυομένη,) Δυναμένη, Δεξαμένη. Occurrit quidem, δεξαμενή, ὀξύτονον, ſed vt nomen appellatiuum, *ciſternam* vel quodvis receptaculum ſignificans. Etiam pars Ambraciae vocabatur Δεξαμεναί, ὀξυτόνως, ἀπὸ Δεξαμένου τοῦ Μεσόλου παιδός, vt Stephanus Byzantinus ait. Hic Δεξάμενος, cuius nomen a Stephano

4) Praeterea ad Il. Z. p. 638. Rom. Vbi haec adduntur: γλαυκός· Γλαῦκος. λευκός· Λεῦκος (Il. Δ. 491.) ἀρητός· Ἄρητος (Odyſſ. Γ. 414.) διηνεκής· Διηνέκης, κύριον καθ' Ἡρόδοτον (VII, 226.) δρυμός· Δρύμος, πόλις (Herod. VIII, 33.) πυῤῥός· Πύῤῥος etc. *W.*

no scribitur βαρυτόνως, mihi quidem ignoratur. Pausanias memorat alium eius nominis, qui Herculis aetate rex fuit ἐν Ὠλένῳ vrbe Achaiae: sed acuit Pausanias hoc nomen, vt puto, recte, Δεξαμενός.

XIV. *Quintum genus: ob amissam in fine dictionis vocalem acutam.*

Si dictionis acutae in vocalem desinentis vltima syllaba, elisionem vocalis passa, cum syllaba prima sequentis dictionis in vnam coalescit, retrahitur acutus. πολλά, πόλλ' ἐμόγησα. ἐλεεινά, ἐλεεῖν' ὑποβλέπων. Dictiones enim quae non in vnam compositam coeunt, debent etiam tenores habere seiunctos. Nam alioqui viderentur coiisse in vnam compositam, eo quod consonantes quae ad elisam vocalem pertinebant, accrescunt non antecedenti syllabae, sed vocali sequentis dictionis. Lex enim pronuntiationis Graecae postulat dici, non, πόλλ' - ἐμόγησα, ἐλεεῖν' - ὑποβλέπων, sed πόλ - λ' ἐμόγησα, ἐλεεί - ν' ὑποβλέπων. Quemadmodum etiam dictiones compositas diuidere oportet. ἀ - νέχου, ἀ - πέχου, non, ἀν - έχου, ἀπ - έχου. Typographorum errore, quem Antesignanus iam reprehendit [5]), vsurpari

5) Conf. etiam G. I. Vossii de Arte gramm. lib. I. extr. p. 162. Res obseruanda etiam in vocabulis Latinis, si qua occurrunt huius generis, vt *Ani - maduertere*, *ta - metsi* etc. De Grammaticorum veterum Graecorum auctoritate hac in re vide Censuram Iliadis Villoiscn. in Ephemm. Litt. vniuers. A. 1791. Febr. insertam p. 245 *W.*

ri coepta est vitiosa diuisio. Mirum est autem, eam ita inualuisse, vt iampridem nemo sit, qui aliter obseruet. Nos culpa oris non Graeci tot alia peccata in pronuntiatione Graeca vitare non possumus: non debebamus, quod vitare poteramus, etiam id committere.

Breuius dicere licuit, Si vocalis acuta in quam dictio exit, per apostrophum abiicitur. Et erat idem plenius. Vltima enim quae abiicitur vocalis, interdum sola facit syllabam. Vt in παλαιά. Sophocles *Oed. Tyr.* 298. κωφὰ καὶ παλαί' ἔπη. Vbi neglexerunt editores accentum abiectae vocalis retractum collocare in syllaba quae antecedebat. Sed et rarius hoc fit, nec habet difficultatem. Itaque malui ego rem ita definire, quemadmodum feci, vt clare intelligeretur, et necessario accentum retrahi, et syllabae consonantes apostrophum passae ad vocalem sequentis dictionis pertinere.

Hanc autem accentus retractionem praepositiones, et coniunctio ἀλλά, non admittunt. ἀλλ' ἴθι. ἀντ' ὀφθαλμοῖιν. ἐπ' εἰρήνης. κατ' αἶσαν. παρ' ἀλλήλοις. ὑφ' Ἕκτορος. Coniunctionis exceptio quam caussam habeat, manifestum est. Si enim recurreret accentus, esset coniunctio nomini ἄλλα similis. Praepositiones cur excipiantur, ea caussa est, quod in illis accentus recursio alium vsum praestat, quem infra cognoscemus. Theodorus Gaza non quaesiuit, cur coniunctio ἀλλά, et praepositiones exciperentur: sed ex eo quod accentum elisa vocali non retrahunt, collegit rem falsam, illas pro grauibus

 dictionibus

dictionibus habendas esse, non pro acutis. (*Grammat.* l. 3. p. 160 et 162.) Verum ne ipse quidem, in iudicando harum particularum tenore, satis mihi videtur sententiae certus fuisse. Nam et praepositionibus, quas vno loco (p. 160.) probare voluit graues esse, idem alibi (l. 1. p. 41.) hoc proprium esse docet, vt acuantur: et vbi agit de coniunctione ne ἀλλά, (p. 162.) eam quoque acutam ipse vocat, et quamquam se statim rursus corrigit, vt in re tamen ambigua dubitanter modo loquitur. *εἰ μὴ ἴσως τὸ ἀλλὰ οὐκ ὀξύνεσθαι, ἀλλὰ βαρύνεσθαι λέγοι τις.* Videtur fefellisse ac decepisse magnum virum res leuis, *ἡ πολυσημασία τοῦ βαρύνεσθαι.* Grauari enim vocabulum dicitur, et id quod tenorem habet in penultima vel antepenultima, et id quod tenorem suum reiicit in aliud antecedens, et id quod tenore acuto in vltima propter sequentium verborum continuationem deposito, et graui recepto, aequabiliter pronuntiatur, et denique id quod *ἄτονον* appellant, quia caret accentu, et ne grauis quidem signo afficitur. Iam nec ἀλλά, nec praepositiones ob aliam harum caussarum dici possunt grauari, nisi ob tertiam [6]): ergo acutae sunt per se, h. e. extra *συνέπειαν.*

Longum est, singulas orationis partes, earumque singulas terminationes, exeuntes in vocalem acutam, et subiectas eius amissioni, percurrere, quaeque

6) Sic haud dubie voluit scribere, non *secundam*, vt impressum est. *W.*

quaeque in hoc genere quaestiones moueri possunt, eas tractando explanare. Hoc igitur in alia peculiari scriptiuncula faciemus.

Illud hic subiiciam, etiam exemtionem τοῦ ι ex diphthongo in syllaba penultima dictionis acutae, facere vt ea dictio retrahat accentum, et grauis existat. φλοιός, amisso τῷ ι, φλόος, et contracte, φλοῦς. χροιά, χρόα. ῥοιά, ῥόα. δειρή, δέρη. Cf. Eustathium ad *Il.* ι, 237. (70, 34.)

XV. *Sextum genus: ob litterae consonantis in fine dictionis aut amissionem, aut mutationem.*

Amissa in fine aut mutata littera consonante, dictio quae acuta erat, grauatur. ὑποδράξ, ὑπόδρα. χωρίς, χῶρι. ἀροτήρ, ἀρότης. Vtrumque horum, et ἀροτήρ, et ἀρότης, poetae vsurpant; prosaici, tantum ἀρότης. Eretrienses ait Plato in *Cratylo* 66, 27. dicere σκληροτήρ, quod Attici et Graeci alii dicebant σκληρότης. Id non puto Eretrienses ob nimium litterae caninae vsum, e Dorica dialecto ipsis haerentem, fecisse: nam qui e Doribus adhibent ρ pro ς, nihil in accentu mutant: sed ea forma illos vt antiqua vsos esse.

Nonnunquam etiam in medio amissione facta, recedit a fine tenor. Sic pro δεσποστής, ἐργαστής, abiecta littera σ media, vsus maluit δεσπότης, ἐργάτης. Ne obuertatur vt contrarium, πειραστής, πειρατής.

πειρατής. Haec duo sunt inter se longe diuersa. πειρασ͂τής, a πειράζω, tento, exploro: πειρατής, a περάω ῶ, transeo, traiicio. Nam latrones quos dixerunt piratas, maria transmittebant, vel vt alibi raperent, vel vt alio praedam aueherent. — Dixi, nonnunquam: nec enim per alias regulas id semper licet. Vt, ἀρυστήρ, et sine sibilo, ἀρυτήρ, eodem accentu: quia scilicet nomina quae in ηρ exeunt, neque aut propria sunt, aut gentilia, omnino acuuntur, exceptis duobus, μήτηρ et θυγάτηρ. Qui scribunt εἰνάτηρ, fratria, per η, non εἰνάτειρ, per ει, debent etiam hoc nomen excipere. Quod Grammaticus Marchicus excipit etiam ἐρίηρ, aut ille, aut ego turpiter fallimur. Quid hoc ἐρίηρ est? Nihil est. At ἐρίηρης et ἐρίηρος, nouimus ex Homero. Ac videtur Grammaticus in mente habuisse Homericum illud, ἐρίηρες ἑταῖροι. Ex hoc ἐρίηρες, quod pro ἐρίηροι per metaplasmum, frequentissimam figuram, dictum est, fecit ille temere atque absurde nominatiuum singularis numeri hunc, ἐρίηρ.

XVI. *Septimum genus, quod ex duobus quae in praepositionem disyllabam cadunt, est prius: ob inuersionem praepositionis.*

Praepositionis inuersio, quam Graeci ἀναστροφὴν dicunt, fit quum ea postponitur aut nomini quod ab ipsa regitur, aut verbo cum quo composi-

ta est. Inuersae autem praepositionis disyllabae, quae non sit trichronos, vt ἀμφί, et ἀντί, accentus retrahitur. ἀπὸ θεῶν, θεῶν ἄπο. ἐν Ἰθάκῃ, Ἰθάκῃ ἔνι. ἐπὶ ᾧ, ᾧ ἔπι. κατεῖχεν, ἔχεν κάτα. Excipiuntur duae, quarum inuersarum accentus non recurrit, ἀνά, et διά. Quod fieri dicunt propter vocatiuum ἄνα, ab ἄναξ, et propter accusatiuum Δία, a Ζεύς. Quanquam prior quidem harum, ἀνά, si ponitur pro verbo ἀναστῆναι, retrahit accentum, et ἄνα scribitur.

Vsurpant inuersionem istam poetae frequenter; prosaici autem, et maxime Attici, raro, idque in vna duntaxat praepositione περί, et ea nomini apposita, non cum verbo composita. In sermone autem ne id quidem fieri solitum erat. Nam, vt ex Aristotele *Poet.* c. 22. discimus, Ariphrades, comoediae veteris vel mediae poeta, incessens Tragicos, quod quae nemo in sermone diceret, iis ipsi vterentur, inter alia exagitabat non hoc solum, δωμάτων ἄπο, sed etiam hoc, Ἀχιλλέως πέρι. Nemo ex omnibus Grammaticis, quos quidem ego legerim, doctrinam hanc de praepositionum inuersione diligentius exposuit, quam hi duo, Michael Syncellus Hierosolymitanus, (περὶ συντάξεως γραμματικῆς. Venet. 1745. pag. 208 — 212.) et Neophytus Peloponnesius. (ὑπόμνημα εἰς τὸ τέταρτον τῆς Θεοδώρου γραμματικῆς εἰσαγωγῆς. Bucurestii p. 1051—1065.) Nec illi tamen ad omnes quaestiones mihi satisfecerunt.

Ego

Ego exponam alio in libello ad hanc illuſtrandam vnam rem proprie ſcripto, et ſingularum praepoſitionum inuerſionem, et ſingulas eius varietates. Hic vnius tantum quaeſtionis explicatio locum habeat.

Dubitatur, ſi praepoſitio eſt media collocata inter nomen proprium et commune, ſiue hoc appellatiuum ſeu adiectiuum ſit, vtri eorum ſit adiuncta, proprio an communi. Si proprio, tum praepoſitio erit inuerſa, et accentum debebit retrahere: ſin communi, tum non erit inuerſa, neque tenoris fiet recurſio. Ariſtarchus eam ad nomen proprium; Ptolemaeus, quem ego Aſcalonitam eſſe arbitror, Ariſtarchi cenſorem, ad commune referebat. Itaque *Il.* 2, 877. ſcribebat Ariſtarchus, Ξάνθου ἄπο δινήεντος· Ptolemaeus autem, Ξάνθου ἀπὸ δινήεντος. Nam τὸ ἑξῆς τῆς ἑρμηνείας ex Ariſtarchi ſententia erat, ἀπὸ Ξάνθου δινήεντος· ex Ptolemaei autem, ἀπὸ δινήεντος Ξάνθου. Conuerſo igitur nominum ordine, ita vt praepoſitio media ſit inter commune et proprium, vtrique debebant, et Ariſtarchici et Ptolemaici, rurſus inuerſo et contrario modo ſcribere ac pronuntiare, illi, δινήεντος ἀπὸ Ξάνθου· hi, δινήεντος ἄπο Ξάνθου. Apollonius Alexandrinus mediam, et ſine dubio rectam viam tenuit, referens praepoſitionem ad vtrumque nomen, et ſiue Ξάνθου ſiue δινήεντος praecederet, habens eam pro inuerſa, et ſcribens ἄπο. Neutra enim harum conſtructio-

construcționum, ἀπὸ Ξάνθου δινήεντος, et ἀπὸ δινήεντος Ξάνθου, plus aut minus altera ordinis Grammatici habet, sed vtraque tantundem. Haec ego didici ex Eustathio, cuius verba referam, quod in iis magnum a me hiatum et animaduersum et expletum esse credo. Sic igitur ad illum Homeri locum scribit: (279, 40.) οἱ δὲ αὐτοὶ (οἱ παλαιοὶ) καὶ ἐν τῷ, Ξάνθου ἄπὸ δινήεντος, φασὶν ὅτι κατὰ Ἀρίσταρχον πᾶσα πρόθεσις μεταξὺ κειμένη κυρίου καὶ προσηγορικοῦ, τῷ κυρίῳ ἕπεται. Pertinet praepositio ad nomen proprium. ὥστε ἐνταῦθα οὕτως ἀναγνωστέον, *Ξάνθου ἄπο δινήεντος· ἵνα ἀμφοτέρων προηγῆται ἡ σύνταξις,* ἀπὸ Ξάνθου δινήεντος. Quae stellulis inclusa, nos ex ingenio addidimus. κατὰ δὲ Πτολεμαῖον, ἡ πρόθεσις τῷ προσηγορικωτέρῳ μέρει ἕπεται. βούλεται οὖν αὐτὸς οὕτως ἀναγνῶναι, ὡς παρ' Ὁμήρῳ κεῖται. Scilicet in exemplaribus iis, quae vsurpauit Eustathius, Ξάνθου ἀπὸ δινήεντος. Et ita hodie quoque habent omnes principes editiones: Clarkiana vero dat, Ξάνθου ἄπο δινήεντος. Quod ego laudarem, si constanter ibi haec ratio seruaretur. Eustathius ipse nihil decernit, sed tertiam hanc Apollonii sententiam refert: κατὰ δὲ Ἀπολλώνιον, φασὶ, πάντως ἀναστρέφεται ἡ πρόθεσις. Hoc est, praepositio accentum suum omnino retrahit, antecedente nomine siue proprio siue communi. Atque hanc Apollonii sententiam esse, multa loca in eius libris de Syntaxi arguunt, et in primis 4, 2. Quos libros non esse ab Eustathio

ſtathio lectos, mihi et hinc et aliunde veriſimile factum eſt.

XVII. *Octauum genus, quod cadentium in praepoſitionem poſterius eſt: ob mutatam earum ſignificationem.*

Significationem praepoſitionis mutatam dico, ſi praepoſitio ponitur ſola, omiſſo verbo, quod cum ipſa compoſitum intelligendum eſt: id quod plerumque ſubſtantiuum eſt, *εἰμί.* Sic mutata ſignificatione, retrahitur praepoſitionis accentus. *ἔπι, ὕπο,* et aliae, pro *ἔπεστι, ὕπεστι. ἄνα,* pro *ἀνάστηθι.* Figuram hanc adhibitae ſimplicis praepoſitionis pro compoſita cum verbo, *μετατύπωσιν* appellant. Res eſt facilis, et a me iam tacta in prima parte p. 38. Itaque nihil addam, niſi locum hunc Euſtathii ad *Il.* 1, 174. (56, 29—38.) *ὥσπερ ἡ ἐπὶ πρόθεσις (τὸν τόνον ἀναβιβάσασα) ἔστιν ὅτε μόνη αὐτὴ καθ' αὐτὴν τίθεται ἀντὶ ῥήματος τοῦ ἔπεστιν, οἷον, οὔ τοι ἔπι δέος,* (*Il.* 1, 515.) *ἀντὶ τοῦ, οὐκ ἔπεστι φόβος· ὡσαύτως καὶ ἡ μετὰ πρόθεσις, τὸν τόνον ἀναβιβάσασα, λέγεται ἀντὶ τοῦ μέτεστιν, ὡς καὶ Εὐριπίδης δηλοῖ. οὕτω δὲ καὶ τὸ πάρα. τοῦτο δὲ καὶ ἀντὶ ἑνικοῦ λαμβάνεται ῥήματος, τοῦ πάρεστι, καὶ ἀντὶ πληθυντικοῦ· οἷον, πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι. ὁμοίως καὶ τὸ ἔνι, ὅπερ ἐστιν ἡ ἐν πρόθεσις μετὰ ἐκτάσεως. καὶ αὐτὸ γὰρ ποτὲ μὲν ἀντὶ τοῦ ἔνεστιν*

ἤγουν

ἤγουν ἐνυπάρχει νοεῖται, ποτὲ δὲ ἀντὶ τοῦ ἔνεισιν. ὡς τὸ, ἐπεὶ οὔ οἱ ἔνι φρένες οὐδ' ἠβαιαί. (*Il.* 14, 141.) τοῦτο δὲ τὸ σχῆμα οἱ παλαιοὶ μετατύπωσιν καλοῦσι, λέγοντες ὅτι ἐκ συνθήκης ἁπλοῦν γέγονεν, ἤγουν μετετυπώθη ἀπὸ συνθέτου λέξεως εἰς ἁπλῆν. καὶ καινὸν οὐδὲν, ἐὰν αἱ προθέσεις αὗται, ὑπαρκτικοῦ ῥήματος λείποντος, λαμβάνωνται ἀντ' αὐτοῦ. ἐν πολλοῖς γὰρ ἡ τῶν ὑπαρκτικῶν ῥημάτων ἐλλέλειπται σύνταξις. ἐκεῖνο δὲ καινότερον, ἐὰν ἡ ἀνὰ πρόθεσις, ἀναβιβασθέντος τοῦ τόνου, λαμβάνηται ἀντὶ ῥήματος τοῦ ἀνάστηθι· ὡς τὸ, ἀλλ' ἄνα ἐξ ἑδράνων. Locus hic Sophocleus, mihi nondum inuentus [7]). Homerus *Il.* 18, 178. Ἀλλ' ἄνα, μηδ' ἔτι κεῖσο.

XVIII. *Nonum genus, quod cadit in pronominum primae ac ſecundae perſonae caſus plurales obliquos.*

Rem nouam dicere plerisque omnibus videbor, quum dico, pronomina primae ac ſecundae perſonae in caſibus obliquis pluralibus, itidem vt in obliquis caſibus numeri ſingularis id fieri notum eſt, olim inclinari ſolita fuiſſe, hac tantum differentia, vt quoniam ἐτετραχρόνουν, et ea re impediebantur, quo minus deuoluerent accentum in dictionem praegreſſam, eum a poſteriore ſua ſyllaba retraherent in priorem. ἡμῶν, ἥμων. ἡμῖν, ἥμιν. ἡμᾶς, ἥμας. Et

7) Eſt in Ai. flag. 194. *W.*



Et ſic in ſecunda perſona. Errauit igitur vir ſummus, Hemſterhuſius, ad Ariſtophanis *Pl.* 286. ſcribens haec: *Nihil admodum refert, ἧμιν, an ἥμιν, an ἡμὶν exares, quum ſyllabam poſteriorem poetae corripi volunt.* Haec enim tria ſunt diuerſa. ἡμὶν ſcripſere, quando vltima breui opus erat, et vox non inclinari, ſed rectum tenorem ſeruare debebat: ἥμιν, ſi vocem inclinabant, vltima longa manente: ἧμιν, ſi et vocem inclinabant, et vltimam corripiebant, nec praegreſſa dictio accentum ſequentis pronominis recipere poterat. . Haec omnia et his plura tum denique potero demonſtrare, vbi de tertio modo inclinandi tenoris agens, ad pronomina peruenero.



FR. VOLG.